na despo latta
lesse otto
a Jouaria
n pessa piu a
re ds dire
sempre sso
are li mei pesce
sempre ludo
c w in a
ofitione
a fatila
sso tutta
la
ne
nne
dine
na
nane
Jlacc Mat
io vet
mi ve
itori grandi
nort et Ato io fer
int
ani

4 [illegible]

Nō voglio credere, che tre oppiatto lettere, una dopo l'altra

che ti ho mandato nō ni habbia ricevuto alcuna; piu credo che ti

facci ignorante usandoti, di q.sta maniera. Io voria

intendere l'altra ult.a resolut.e acciò io nō pensa piu a

alcuna di te et di q.sto p. delli tuoi figli de ordine

meglio q.sto come l'habbia a supportare sempre stio li mei pecc

io, ti ho scritto piu volte et tu facendoti sempre sordo

qualm.te la tua figliola Maria che io in casa

a quattro mesi fa, p.ch ~~il medico Marcatone~~

venni in Messina, cattivo, e mi porrai l'altra figliola

tt.a malata et ruinata, che ella i sio q.sto [illegible]

p. sanarla et p. farla rispigliare p. ult.o l'ant

in casa infino a q.sta hora, et ti ha fatto [illegible]

Pietro ~~primo~~ il medico si nd. andao via innan

et mi l'ha come hodo incarricato sopra di mi

l'habeva fare carcerare, ma lui come fu [illegible]

notiria et si nd. fuggio via come hodo innanzi

vedi ti io ho da essere di tanti modi flagellato

piglia resolut.e di q.sto negozio pche io resto

infirmato, et troppo sotto p. li toi figli mi sentivo

ancora et il tuo figliolo peppi è morto et che io

in sto Antoni come ho scritto mai ~~[illegible]~~ perc

se è la verità, et ~~[illegible]~~ dubito sia più presto, [illegible]

vogli coprire tutto questo voto accio non mi mandi li mi

[illegible] devo dare alla balia ~~[illegible]~~ è tanto [illegible]

come tiranno (che mi ritorna i ricette) ~~[illegible]~~ figa che rispetti ne a figli ne

a cosa che apparteni alla tuo honore, ma più

sora come [illegible] la verità, che ti leva d'amare che

devi portare giustamente alli tuoi figlioli, non ava

de miseria condire che io ti usatti e del figliolo è

morto e sotterrato in sto Antoni, il figliolo [illegible]

del sig.re [illegible] bene et è bello quanto è bello il loro et

già [illegible] a dir meti fa, et la mia propia

~~[illegible]~~ li mei fratelli et la sig.ra mia madre

l'amano quanto l'occhi loro, eccetto mio fratello

[illegible] il giorno col tuo figliolo mi piglio spasso, [illegible]

randolo a leggere, nella [illegible] della chiesa

et ueni tanto rispetto ~~[illegible]~~ e stupore di chi [illegible] et

la rente piastore, ~~[illegible]~~ della lettera

che haueßi, ~~[illegible]~~ dentro ci era scritto che tuo figlio era

morto ~~[illegible]~~ dubito non sia stato mio fratello [illegible]

che l'habbia fatto [illegible] lui haue la ~~stessa~~ mia

mano come ~~[illegible]~~ la sua propia lettera

si rassomiglia alla mia, et più quieta [illegible]

[illegible]

diversi/
esempi che

fra i citati soggetto

1/4/84 B. McKittrick. $325.

QB
633
.I53
1633
Jesuitana

17064798
4/10/2008

Melchioris Inchofer
E SOCIETATE IESV
AVSTRIACI,
TRACTATVS SYLLEPTICVS,

In quo,

QVID DE TERRAE, SOLISQ. MOTV, VEL STATIONE, ſecundùm S. Scripturam, & Sanctos Patres ſentiendum, quauè certitudine alterutra ſententia tenenda ſit, breuiter oſtenditur.



ROMÆ,

Excudebat Ludouicus Grignanus MDCXXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

MVTIVS VITELLESCVS,
SOCIETATIS IESV
Præpoſitus Generalis.

CVM TRACTATVM SYLLEPTICVM, DE TERRÆ, SOLISQ. MOTV, vel STATIONE, &c. P. MELCHIORIS INCHOFER, noſtræ Societatis Theologi; Tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint; ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt Typis mandetur, ſi ita Reuerendiſſimo Domino Viceſgerenti, & Reuerendiſſimo P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In cuius rei Fidem has literas, manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ XVIII. Auguſti MDCXXXIII.

Mutius Vitelleſcus.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Torniellus Viceſg.

EX commiſsione Reuerendiſs. P. Mag Sac. Pal. Apoſt. Vidi, & cum voluptate perlegi TRACTATVM SYLLEPTICVM, DE TERRAE, SOLISQ. MOTV, vel STATIONE, ſecundùm Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum ſententiam, Authore R. P. MELCHIORE INCHOFER Societatis Ieſu Theologo; & placuit valdè Argumentum, hoc præſertim tempore, in quo quidam prurientes auribus à ſimplici candore, & ſacra Veritate diuinæ Scripturæ auditum auertunt, & ad fabulas conuertuntur. Hos Pythagoræos Chriſtianè refellit hic Theologus, & doctè demonſtrat, Matheſim, aliasq; humanas ſcientias, ad Sacræ Scripturæ regulas eſſe reducendas, non verò, vt periculosè hoc noſtro ſeculo in nimiam abijt licentiam; pro cuiusq; captu, aut arbitratu interpretandum, aut potius adulterandum diuinum eloquium, vt humanis famuletur figmentis. Iudico proindè vtilem hunc fore Tractatum, & Typis euulgandum, præſertim cùm nihil in eo præter ſanam doctrinam contineri perſpexerim. Datum Romæ ad Aram Cæli die XXII. Auguſti MDCXXXIII.

Fr. Lucas VVaddingus Ordinis Minorum
V. Commiſſarius Generalis Curiæ Romanæ.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Pal. Apoſtolici Magiſt. Ord. Præd.

MAGNO DOMINO,

Qui fecit illum *(Solem)* & in ſermonibus
eius feſtinauit iter *(Eccleſiaſtici 43.)*
Qui fundauit Terram ſuper
ſtabilitatem ſuam *(Pſal. 103.)*

&

Omnibus Chriſtianæ, Catholicæq;
Philoſophiæ amantibus.
D. D.

LECTORI.

AMICE LECTOR. In hoc ſcripturienti ſeculo, multorum manus ſcribendo pruriunt; neque ſolùm nouis inueniendis argumentis, ſed vetuſtis etiam reuocandis laſſantur homines ingenioſi, neſcio quàm bene feriati, dum proſcripta & proſcribenda perindè ſcribunt. Tale eſt hoc genus de Motu Terræ, & Statione Solis, *quod nunquam robuſtè inueteratum, ac tantùm à Pythagoræis manu ductum, in Chriſtiana quoque ſecula tacitùs irrepſit primùm, ſed mox à ſanctiore Philoſophia preſſum, obſcurè & languidè ſe aluit in libris; quoad rurſum apud Imaginarios quoſdam opinionem inueniſſet; qui hodie Tribunitij inter ſuos facti, ſine lege philoſophantur. Iſtis modò, pro S. Scripturæ, Sanctorumq; Patrum, ac Theologorum decretis occurrimus; verùm Sylleptica tantùm velitatione; vt hinc maiora maneant, quæ vel alij iam operosè inſtructi, propediem Matheſi dabunt; vel ſi redimere hanc breuitatem oporteat, nos quoque partem alijs lucubrationibus detractam, huic curæ addituri ſumus, cùm te præſertim qualecunque hoc ſtudium noſtrum probauiſſe nouerimus. Quamquam hanc operam, ab alijs maiori cum laude occupandam, ſicut non neſcimus, ita omnes tanquam Religionis Claſſiarios, hoc ſublato ſigno conciemus: par quippè eſt omnes, quibus Chriſtianè pectus ſapit, pro cana Fide, & Veritate fortiter agere, idq; ſiue Theologicè, ſiue Mathematicè, & Philoſophicè decernendum ſit, vnicè præſtare; ne fabulis, & peregrinis doctrinis abducti bonorum ſenſus, Religioni intercedant. Quod dum apud te quoque præſtinatum, mi Lector, velimus, hæc pauca damus in anteceſſum; ipſe plurima ne in longum diem repoſueris da operam; memor dicti Sapientis,* Super faciem Scribæ imponet honorem ſuum. *Vale.*

TRA-

TRACTATVS SYLLEPTICVS.

IN QVO QVID DE TERRAE SOLISQ. MOTV vel Statione ſecundùm S. Scripturam & Sanctos Patres ſentiendum, quáue certitudine alterutra ſententia tenenda ſit, breuiter oſtenditur.

TOTVM hunc tractatum XIII. Capitibus abſoluemus: *Primo*, Afferemus præcipua S. Scripturæ loca, quæ motum Terræ videntur adſtruere. *Secundo*, Quid de eadem re Sancti Patres videntur ſenſiſſe. *Tertio*, Quæ loca S.Scripturæ militent pro quiete Terræ. *Quarto*, Quid item Sancti Patres ſenſerint de eadem quiete. *Quinto*, Oſtendemus eiuſdem loci S.Scripturæ, plures eſſe ſenſus literales. *Sexto*, Quotuplex ſit ſenſus literalis huius propoſitionis; *Terra in æternum ſtat*. *Septimo*, Quis ex prædictis ſenſibus videatur principaliter intentus. *Octauo*, Solem moueri eſſe vnanimem Sanctorum Patrum ſententiam. *Nono*, Solem moueri & quidem Circulariter, eſſe de Fide. *Decimo*, An ſit de Fide Terram eſſe Centrum vniuerſi. *Vndecimo*, Quo pacto ſunt de Fide propoſitiones hactenus affirmatæ. *Duodecimo*, Poſito quòd Terræ quies ſit de Fide, an, & quatenus liceat de contrario diſputare. *Decimotertio*, Proponemus & ſoluemus obiecta, quatenus ad S. Scripturam & Sanctorum Patrum inſtitutum ſpectant.

Vnde præcipuè videatur adſtrui poſſe ex S. Scriptura motus Terræ.

CAPVT PRIMVM.

PLVRA ſunt eiuſmodi loca,ſed pleraq; figuratè ſunt intelligenda, vt interdum Terra pro habitatoribus Terræ accipiatur, qui ſi aliqua de cauſa commoueãtur in bellorum factiones,aut potius ſi ſtatum vitæ quocunque modo mutent, vt quodammodo alteri fiant à ſeipſis, Terra ipſa dicitur commoueri. Teſtatur id S. Auguſt. *in Enarrat. in Pſal. 98.* Quo etiam pacto ſumendum eſt illud *Pſal. 96. Illuxerunt fulgura eius Orbi Terræ, vidit, & commota eſt Terra.* Amos 8. *Nunquid ſuper iſto non commouebitur Terra, & lugebit omnis habitator eius.* Ierem. 50. *Vt exterreat Terram & commoueat habitatores Babylonis.* 1. *Machab.* 9. *Commota eſt Terra à facie exercituum*; quamuis hic locus & per hyperbolem explicetur. Et idem dicendum de pleriſq; alijs locis, quibus Deus aſſeritur commouiſſe aut conturbaſſe Terram, vt legenti *S. Auguſt. in Pſal.* 17. 58. 67. 74. 113. *Conc.* 1. euidens eſt: & ſanè vix quicquam adeò frequens eſt S. Auguſtino, quàm Terram in S. Scriptura ſumi pro hominibus ipſis. Vide *Lib. 1. & 2. locut. de Exod. De Ciuit. lib.* 20. *cap.* 23.

Interdum verò Scriptura notat potentiam Dei, & maieſtatem, à cuius nutu videlicet vniuerſa pendent, iuxta *Eccleſ.* 16. *Ecce Cælum, & cæli cælorum, abyſſus,& vniuerſa terra, & quæ in eis ſunt, in conſpectu eius commouebuntur, montes ſimul, & colles, cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur.* Et Iob 26. *Columnæ Cæli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius.*

Denique interdum innuit Scriptura miraculoſam Terræ in parte commotionem. Velut 1. *Reg.* 14. *Conturbata eſt Terra, & accidit quaſi miraculum à Deo*; ſiue, vt Hebræus legit, *Fuit in trepidationem Dei*, hoc eſt, in prodigioſam, & longè maximam commotionem. Quamquam & hic locus de incolis Terræ, ex ſenſu capiatur; nam & Septuaginta ſic vertunt, vt ſtuporem potiùs, quàm motum videantur ſignificare; ſtupor autem in homines cadit. Probabile tamen eſt Terram ipſam verè fuiſſe commotam miraculosè, præſertim, ſi, quod aduertunt nonnulli, Terra ſumitur, ſępè quidem pro incolis, ſed potiùs in Prophetis quàm in Hiſtoricis libris, cuiuſmodi ſunt libri Regum.

Atque

Atque iuxta hanc opinionem admitti etiam poteſt de vero Terræ motu, quod dicitur. 2. *Reg.* 22. *Commota eſt & contremuit Terra, & fundamenta montium concuſſa ſunt & conquaſſata, quoniam iratus eſt eis*. quod totidem ferè verbis repetitur *in Pſal.* 17.

Ex his tamen omnibus, & ſi quid aliud eſt huiuſmodi, non poteſt inferri conuerſio Terræ, ſiue annua, ſiue diurna, de qua hic nobis eſt ſermo, ſicut neque ex Terræ motibus & concuſsionibus, qui frequenter à cauſis naturalibus proueniunt, rectè quippiam concluditur.

Vnus eſt locus quem nonnulli ad inſtitutum magni faciunt. Iob 9. *Qui commouet Terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur*. Cui Didacus Stunica tantum efficaciæ tribuit ad aſſerendum Terræ motum, nullus vt in reliqua Scriptura locus reperiatur, qui in contrarium tam apertè prodat Terram non moueri, atque iſte adſtruit moueri. Idipſum verò illuſtrari poſſe putat ex placitis Pythagoræorum, Terram natura ſua moueri exiſtimantium. Quò etiam referunt aliqui tranſlationem montium, de qua ibidem eſt ſermo. *Qui tranſtulit montes & neſcierunt quos ſubuertit in furore ſuo*. Quam tranſlationem exiſtimant cum motu conuerſionis apprimè conſentire: & alioqui nimis mirabile foret, Terram montibus prægrauatam adeò celeriter circumferri, niſi id inſtituto primæ creationis accepiſſet.

Sed reuera ex his locis nihil euincitur. Quoad primum, rectè notant Scriptores, eo, potius immobilitatem Terræ ſignificari, quòd columnæ appellatio firmam quandam fixamq; notet ſtabilitatem; commotio verò, Dei deſignet vindictam, & irritatæ potentiæ vim per tempeſtates & concuſsiones Terræ ſæuientem, quod longè alienum eſt à quotidiana & imperceptibili conuerſione, quam ſui authores depingunt. Idem rectè deducunt ex genuina ſignificatione vocis Hebrææ, quæ quidem non motum naturalem, ſed ex metu, vel ira, vel alia quauis perturbatione ortam commotionem videtur innuere.

De poſteriori loco, idem planè eſt ſentiendum, vt perperã cenſeatur ea tranſlatio cum motu circulari Terrę congruere; quid enim opus furore & ſubuerſione, ad huiuſmodi tranſlationem motu circulari perficiendam, qui cùm ad vtilitatem mortaliũ in terris ordinatus ſit, à ſubuerſione longè eſſe debet. Loquitur ergò Scriptura de tranſlationibus montium de loco in locum, interdum ad caſtigãdos populos diuinitùs factis, idq; non ſemel, nec vna in regione accidiſſe & Hiſtoriæ, & Traditiones gentium docent. Quamquã & alio fine tranſlatos miraculosè mõtes ad preces Sanctorum & fidem populorum augendã, certius eſt quam vt dubitari queat, nec tamen in hoc euentu quemadmodum in primo, obrutas aut penitùs ſubuerſas cũ habitatoribus Vrbes, cõſtat.

Quid habeatur ex Sanctis Patribus de motu Terræ.

CAPVT SECVNDVM.

NON inueni vllum Sanctorum Patrum, qui diſertè, & quod dicitur poſitiuè aſſeruerit Terrã moueri. Ex quibuſdam tamen indirectè nonnihil deduci poteſt, quod huc facere videatur. S. Ambr. verba illa *Pſal* 118. *Fundaſti Terrã & permanet* (ex quibus alij immobilitatem colligunt) expendens, poſt nonnulla, ſubdit. *Hunc locum pulchrè nobis aperuit Eccleſiaſtes, ſpiritualem eſſe non materialem, dicens. Quæ abundantia homini in omni labore ſuo, quo laborat ſub Sole, Generatio vadit, & Generatio venit; Terra autem ſtat in ſeculum.* Quare ſi ſenſus Verborum ſpiritualis potius eſt quàm literalis, non rectè inde infertur Terram permanere, hoc eſt non moueri circulariter, ſed ad ſummum non mutari localiter ſecundùm totum, vel quod magis ad mentem S. Ambroſij facit, Terram permanere tanquam ſubiectum generationis & interitus ſublunarium, ipſam verò nec generari nec interire in toto.

Huc referri poſſunt, *Theodoret. Haim. S. Brun.* qui hæc etiam alia loca, nimirùm *Pſal. 92. Etenim firmauit Orbem Terræ, qui non commouebitur.* Et *Eccleſ. 1. Terra in æternum ſtat;* ex quibus præcipuè videtur probari ſtatio Terræ, in ſenſu morali accipiunt. Et *Dionyſ. Carthuſian.* eadem verba *Pſal. 92.* Congruentiùs intelligit de confirmatione Eccleſiæ, quàm de quiete Terræ.

Accedunt, qui negant Cælum eſſe ſphæricum; hinc enim continuò quis inferat, nec Terram ſtare immotam in medio Vniuerſi tanquam Centrum, circa quod Cælum conuertatur; quomodò enim id fiat, ſi Cælum ſphæricam figuram repudiet?

In his videtur eſſe S. Iuſtinus Martyr *ad Orthodox. q. 59.* Quærebatur enim ſi Sol noctu occultatur, quomodò Cælum non probatur globus eſſe: Proinde cùm aliam eius occultationis cauſam afferat, quàm quòd Cælum ſit globoſum & rotundum, vt patet in reſponſione, ab hac ſententia non putabitur alienus, præſertim qui plerunque Ariſtoteli eſt contrarius.

Lactantius *in lib. 3. de falſa ſapient. cap. 24.* Diſputans contrà aſſertores Antipodum, & qui id propter, Cælum rotundum & Terram

in

in medio ſinu eius incluſam, globo etiam ſimilem eſſe dixerunt : tandem ſubiungit. *Ego multis argumentis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, vt Cælum Terra ſit inferius*; facilè etiam dicturus Terram non gerere Centri vicem, nec neceſſariò expertem eſſe motus.

S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 9. In eam ſententiam inclinat, quæ Cælum ſicut pellem extendit, iuxtà *Pſal.* 105. Et dubitat, certis rationibus probari poſſe Cælum ſphæræ figura vndiq; eſſe conuexum, *Quod* (inquit) *humanum eſt fortè figmentum*. Quare nec Terram aſſeret in medio Vniuerſi conſtitutam, & inſtar Centri motu omni priuatam.

Denique vt plures mittam, Procopius *in cap.* 1. *Gen.* negat Cælum eſſe Sphæricum vel Hemiſphæricũ, idq; probat ex *Gen.* 19. *Sol egreſſus eſt ſuper Terram. Non* (inquit) *aſcendit, quod meritò diceret, ſi cæli forma Sphærica eſſet*; Plura alia colligit. *Ex Pſal.* 18. *Matth.* 24. *Ad Hebræos* 8. Ex quibus manifeſtè confutari ait opinionem eorum, tanquam Scripturæ contrariam; qui Cælum Sphæricæ figuræ eſſe contendunt.

Iam ſi Cęlum Sphęricum non ſit, neque habebit prò Centro Terram motus expertem; *nam ſi Centrum eſſe nequit, neque motu omni carere poteſt*, quemadmodum deducit Card. Cuſanus *lib.* 2. *de docta Ignorantia cap.* 11. Qui poſt multa, Terram moueri ſe demonſtraſſe putat, nec pauca ponit quæ ceteris paradoxa videntur, cuiuſmodi eſt inter alia, mundum nec habere centrum nec circumferentiam, in quo, ex parte conuenit cum Procopio. *Et cap.* 12. aſſerit Terram in veritate moueri, licet nobis hoc non appareat, cùm non appręhendamus motum niſi per quandam comparationem ad fixum.

Sed dum hoc loco antiquorum duntaxat Patrum inueſtigamus ſententias, præterimus illos, qui ſecundùm Philoſophos Gentiles, quorum meminit Plutarchus *in lib.* 3. *de Placitis, cap.* 13. in Chriſtianis ſeculis eandem de motu Terræ imaginationem reuocarunt; quos inter poſt Franciſcum Ferrarienſem, agmen ducit Nicolaus Copernicus, eumq; ſequitur Cælius Calcagninus, Andreas Ciſalpinus, Gilibertus Anglus, nec pauci alij recentiores & recentiſsimi, qui Terram moueri, planè vt rem demonſtratam accipiunt.

Ex dictis porrò inferunt nonnulli, quòd ſicut ex eo, quòd interdum Scriptura nominat Orbẽ vel Gyrũ Terræ. *Iſai.* 40. *Pſal.* 92. *&* 95. *&c.* non licet deducere Cælum, & Terram eſſe corpora Sphærica & rotunda : ita neque ex eo quòd interdum adſtruere videatur Terræ Stationem, inferendam eſſe abſolutam immobilitatem, quando præſertim eiuſmodi locutiones commodè etiam alium ſenſum recipiunt.

Cete-

Ceterùm, hæc in loco refellentur commodiùs. Interim aduerte, illa Patrum tempeſtate, non fuiſſe adhuc clarè demonſtratum, Cælum eſſe figuræ ſphæricæ, quod tamen ſi factum fuiſſet, fatetur S. Auguſtinus ſuum de pelle dictum nō fore contrarium veris illis rationibus, alioqui pugnaturum etiam cum alibi à ſe dictis; dixerat enim Cælum eſſe velut Cameram ſuſpenſum, & Cameræ figuram cum ſphærica figura ſtare poſſe, quatenus ſi Cælum ſphæra eſt, vndiq, Camera eſt, pluraque diſputat in hunc ſenſum, etiam ad figuratas locutiones à pellis & Cameræ ſignificatione deſcendens. Hodie porrò cùm demonſtratum ſat clarè videatur, Cælum eſſe rotundum inſtar globi, vt videre eſt apud omnes, qui de Sphæra tractant, conſequens eſt aliter eſſe tàm de Terræ ſitu alijsq; accidentibus, quàm de Cælorum motibus ſecundùm veritatem ſentiendum. Sumitur autem huius demonſtrationis argumentũ, à neceſſitate potiſſimùm quæ omnem aliam Cæli figuram excludit, deinde ex eadem ſemper inter ſe fixarum in motu diſtantia, eàdemque ad aſpectum noſtrum propinquitate, denique ex phænomenis & inſtrumentis Mathematicis, quæ nequaquam inuicem congruerent, ſi Cælum ſphæricum non eſſet.

Quæ omnia ſupponenda à nobis ſunt hoc loco, non examinanda.

Vnde ex S. Scriptura adſtruatur Quies & Statio Terræ.

CAPVT TERTIVM.

HÆC in primis deduci poteſt ex ijs locis, quæ Terræ quietam quandam & immotam fixionem tribuunt. *Iſai.66. Hæc dicit Deus Cælum ſedes mea, Terra autem ſcabellum pedum meorum*. Quæ verba repetuntur *Act.*7. Sicut autem per Cælum quod Sedes Dei dicitur, intelligitur maximè Empyreum, quod eſt immotum, ex Clem. Alex. *lib.*4. *Stromat.* Alberto Magno, *de quatuor coæuis, quæſt.*4. *art.* 15. & quàm plurimis alijs; ita etiam Terra, quando ſcabellum vocatur, pro re quadam immota & conſiſtente vſurpatur, eòq; magis, quòd interdum & Sedes Dei appellatur. *Iſai.* 40. *Qui ſedet ſuper gyrum Terræ*. Vt rectè nonnulli ſenſerint, motum reliquorum Cælorum non ſolùm exigere eſſe iuxta Centrum immobile, ſed etiam intra continens immobile, hoc eſt Cælum Empyreum. S. Bonauent. *in* 1. *diſt.*2. *art.*1. *q.*1 Quod ipſum videtur innuere Picus *in Heptaplo* ex ſententia Hebræorum. Et antè iſtum. Dionyſ. Richel. *in Opuſc. de rerum product. cap.*58. Et Opuſc. *de creat. rerum ad Deum conſid. Theol. cap.*58. Cælum Empyreum per Sanctos Patres aſſertum oſtendit. Et *art.* 6. *in Geneſ.* non ſolùm tribuit Bedæ, & Straboni, (quod pleriq; faciunt), ſed etiam S. Baſilio, vt de hoc ſolo intelligatur, primum illud, *In principio Deus creauit Cælum & Terram*: quaſi duas res, ſupremam & infimam in ſua ſtabilitate permanentes, ſedem videlicet Dei & ſcabellum pedum eius. Nec obſtat quòd ſedes interdum ſpiritualiter aut etiam literaliter in alio ſenſu accipiatur, quod inter alios aduertit Galat. *lib* 7. *de Arcan. cap. vlt.* Trita enim eſt doctrina apud Sanctos Patres & Scripturæ interpretes, Verba S. Scripturæ præter literalem & Hiſtoricum, alios plerunque ſenſus admittere. Immò verò, & literæ non vnam interdum eſſe ſignificationem, in loco oſtendemus.

Alia ſunt loca quæ hoc ipſum clarius videntur aſſerere. *Pſal.* 74. *Ego confirmaui columnas eius. Pſal.* 92. *Etenim firmauit Orbem Terræ qui non commouebitur. Pſal.* 95. *Etenim correxit Orbem Terræ qui non commouebitur. Pſal.*103. *Qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Pſal.* 118.

Fun-

Fundaſti Terram & permanet. 1. *Paralip*. 16. *Ipſe enim fundauit Orbem immobilem*. *Iſai*.44 *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos, ſtabiliens Terram, & nullus mecum*. Quæ loca etſi fortaſſe ita queant accipi, vt vel opponantur commotioni & quaſi trepidationi totius Orbis Terreni, vel mutationi de loco in locum, non autem diurnæ, annuæque conuerſioni in eodem loco circa proprium axem; Vel ſtabilem quandam durationem ſignificent, generationi & corruptioni ſecundùm rationem totius oppoſitam; Vel denique immenſam Dei potentiam, abſque fulcris & baſibus ingentem hanc machinam ſuſtinentis, manifeſtent; iuxtà illud *Iob* 26. *Appendit Terram ſuper nihilum*. *Et cap*.38. *Super quo baſes eius ſolidatæ ſunt, aut quis demiſit lapidem angularem eius?* ſtupentibus interea mortalibus, nec penetrantibus rationem huiuſmodi appenſionis & fixionis: Etſi (inquam) ita queant explicari; ſi tamen princeps literæ ſenſus vndique attendatur, iunctis etiam alijs Scripturæ locis, quibus Cælum ſurſum, Terra deorſum eſſe affirmatur, Sol oriri & occidere, gyrare per Meridiem, reuerti ad Aquilonem, & id genus alia; cùm interea nihil ſimile de Terra prędicetur, ſed vbique potius eius immobilitas & ſtabilitas inſinuetur; ſi etiam conſideretur, eam in creatione datam eſſe Terræ primam qualitatem, vt ceteris elementis grauior eſſet, atque inde rationem Centri ſortiretur; denique ſi ipſa ſignificatio Stationis Terræ ſuo etiam ſenſu conſideratæ, quatenus Scriptura vtrumque coniungit, animaduertatur; omnino concludendum eſt, omnem cuiuſuis conuerſionis rationem à Terra excludi; idque inter alia non obſcurè indicant illa apud Iſaiam verba. *Cap*. 44. *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens Cælos ſtabiliens terram*; quaſi extenſo cælo inſtar campi ad motum ſyderum expediendum, Terram contraria quiete ſtabiliuiſſet: Et adhuc clarius illa *Pſal*. 103. *Qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi*. Sanè ſi Terra moueretur aliqua conuerſione, non rectè diceretur, ita ſtabilita & fundata, idq; permanendo, vt nullo modo inclinaretur, quando eiuſmodi qualiſcunque conuerſio abſque inclinatione fieri non poſſit.

Et profectò mirum eſt, cùm in Scriptura toties dicantur moueri, vel Cælum vel luminaria, nullam vnquam de ſimili Terræ motu fieri mentionem, quod tamen neceſſarium erat ad cognoſcendam magis Diuinam omnipotentiam, & ad rapiendos in admirationem Dei, mortalium animos, qui hoc inſenſibili motu circumuecti, nullum inde incommodum, ſed omnia ad votum ſuccedentia erant accepturi. Ceterùm poſito hoc rerum ordine, ſiue dicamus Terram aquis innatare,

quod

quod aliqui ex Sanctis Patribus aſſeruerunt ex illo *Pſal.* 135. *Qui firmauit Terram ſuper aquas:* ſiue fundatam iuxta aquas, vt alij Sãcti quoque Patres ſenſerunt; fieri nullo modo poteſt, quin ex tali conuerſione infinita mortalibus incommoda, niſi aquæ nouis miraculis coërceantur, conſequantur.

Quibus poſitis & attentè conſideratis, rectè Authores, ſi vnquam ex alijs S. Scripturæ locis, ex illo *Eccleſ.* 1. *Generatio præterit, Generatio aduenit, Terra autem in æternum ſtat*, non ſolùm aſſeruerunt præfinitam eius durationem, verùm etiam omnis generis motum ab ea excluſerunt. Primum quidem colligitur ex Arabica lectione, *Terra in æternum durat, ſeu durabit*, ita vt originale verbum, opponatur verbo, quod inconſtantiam, & velut ex infirmitate nutationem quandam indicat, ſignificetq; firmitatem, & fixam conſtantiam, inſtar Columnæ immobiliter in vno loco ſtantis: quem ſenſum, verbum ſtandi non ſemel in Scriptura exhibet, velut cùm dicitur *Ioſue* 10. *Stetit Sol in medio Cæli, & Ierem.* 15. *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me*, hoc eſt quaſi fixi & immoti in oratione perſeuerantes.

Alterum verò manifeſtè deducitur. Primò ex immediata oppoſitione motus Solis quam ſubdit Scriptura, *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur ibiq; renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem*. Quæ ſanè verba, eodem modo de Terra dici poterant, ſi quæ diurna, vel annua conuerſio illi competeret; nec erat aſſerendum, *Terra in æternum ſtat*, vt huic Stationi velut continuò opponeretur motus ille Solis, quaſi non alteri corpori conueniens, quem hactenus & ſenſus obſeruauit, & ratio probauit. Vt iccircò qui hoc dictum iuxta humanum duntaxat ſenſum, aut ſecundùm apparentiam aſſertum putant, tanquam de cetero motus eiuſmodi non Solis, ſed Terræ eſſet, temerariè loquantur, & vim Scripturæ inferant, contra omnium Sanctorum Patrum ſententias mox aſſignandas: Et alioqui ſi ita loqui liceat, vacillabit in plerisq; ſenſus literalis Scripturæ, tolleturq; fides rerum ſperandarum, humanis euerſa imaginationibus.

Secundò deducitur ex ipſo verbo Standi. Significat enim Terram initio creationis conſecutam eſſe natura, vt grauitate ſua & pondere ad imum Vniuerſi inclinaret, motus omnis expers, & quietis tantùm pro Centri munere appetens. Quid enim alioqui erat neceſſe tanto pondere eam onerare, ſi circumuolui oportebat, & non potius in medio conſiſtere, vt circum eam Cæleſtis ſphæra ambiens verteretur? Centrum natura ſua ſtabilitatem ſignificat, idq; vox originalis Cen à radice Cun, quod eſt firmiter ſtabilire, clarè demonſtrat, quia ſci-

licet Centrum eſt baſis, & quies fixa omnis motus, iccircò in Scri- ptura *Iob* 34. vocabulo *fundamenti* appellatum. Ita interpretatur S. Baſilius *In cap.* 13. *Iſaiæ*, vbi paulò ante explicans illa verba loco Iob citato, *Vbi eras quando ponebam fundamenta Terræ; Quin etiam* (inquit) *iuxta opinionē externæ diſciplinæ profeſſorum Dominus iecit fundamenta Terræ in Centro Sphæræ, operoſam mundi molem comple- ctentis, vt à Cælo æquali libramine nulla non in parte diſtans tutò deſcenderet, & neutrobi deuergens ſolidè, & ſtabiliter ſuffulciretur.*

Hac de cauſa Antiqui & inter alios Plato in Timæo, Terram velut proprio ſymbolo, Cubo repræſentarunt; Ea enim figura præditus eſt Cubus, vt quocunque vertatur, ſemper hæreat immotus, idq; ex ipſa vocis Hebrææ, *Erets*, quæ Terram ſignificat, origine; tanquam aliquid myſticum elicúerunt, quòd cum ex geminis punctorum Tſe- reim ternarijs conſtet, Cubum ex triagonalibus præ ſe ferat, ſiue ijs collectim in ſe ductis primus exeat Cubus, ſiue ſeorſim putatis ſecun- dus, ſiue demum progreſſione ſexcupla tertius, quem etiam terna puncta ſingulatim in ſe ducta, & ſecūdo Cubo ſuperaddita conficiunt. Vt omnis huiuſmodi figura geometricè ſpectata, motui corporis ſit minimè apta, eumq; prorſus impediat.

Id ſi habetur ex numeris, rectè etiam ſpectàtur in figuris. Quippe Triangulis quatuor rectilineis in vnum compactis, corpus ſolidum, hoc eſt Cubus Triagonalis exurgit, qui & primam inter ſolida pyra- midem exhibet, tribus præditam angulis, omnemq; ad motum ha- bilitatem excludens (*Pierius, lib.* 38.) Atqui duo Tſereim ſuis in Triangulum punctis figurata, velut elementa ſunt huiuſcemodi Cubi, nec temerè Terræ vocabulo ſuffiguntur, vt ex Cubi Triagonalis con- ſtitutione, Terræ immobilitatem à natura inditam ſignificent. Huc fortaſſe facit Hieroglyphicum illud, quo ſimplex Triangulum æqui- laterum diuinitatis eſſe inſigne perhibebant Ægyptij, quaſi quòd æqualis eſſet, & in decretis ſuis immobilis, hac figura eſſentiam eius explicarent. Ex quo tamen præterea conſequitur, cùm Deus rerum omnium creatarum inuariabile ſit Centrum, à quo nimirum omnia eodem tenore fluunt, & rurſum in eodem colligantur, quem- admodum videtur interpretari Dionyſ. *De diu. nom. cap.* 5. ſi etiam Terra inſtituto Creationis Centrum eſt Vniuerſi Corporei, (quod in loco oſtendemus) in hoc quoque velut antitypo, ſimilitudine quadam Terræ immobilitatem rectè adumbrari. Sicut autem antiqui Terram Cubo repræſentarunt, ita contra Aquæ tribuerunt figuram Icoſaëdron, quòd propter nimiam, & quaqua verſum fluxilem mobi- litatem, velut è diametro, Terræ immobilitati opponitur.

Tertio

Tertiò deduci poteſt ex eodem originali Terræ vocabulo, ab Hebræis deriuato: hoc enim in S.Scriptura ſæpè materiam primam ſignificat, imò verò hanc non alia appellatione Scriptura notat, vt non immeritò multi præſtantes Theologi, & Sancti Patres, Terræ nomine non niſi materiam rudem & informem intellexerint; idq; elicitur etiam ex S.Auguſt. *lib*.12. *Confeſſ. cap*.20. *&* 21. Porrò cùm materia prima, rerum omnium generabilium mutationibus ſubiecta ſit, ipſa tamen, nullam ne minimùm quidem motus cuiuſcunque alterationem ſuſcipiat, rectè per eam in hoc ſenſu Terra deſignatur, quòd velut materia ſecunda omnium generabilium, multò magis ſit expers motus localis, quàm cuiuſuis ſecundùm totum alterationis; Ea etiam de cauſa, quòd cùm omnium rerum ſuper ipſam exiſtentium ponderibus prematur, ac vt vocis Hebrææ alia quædam radix ſignificat, teratur & trudatur, ipſa tamen immobilis perſeueret.

Ceterùm ſi in Scriptura non alio ferè quàm Terrę nomine materia prima proferatur, inde eſt quia in lingua Hebręa non omnia ſuis proprijs appellationibus ſunt expreſſa, alioqui reprehenduntur à S.Baſil. *Hom*. 2. *in Hexam*. qui *Gen*. 1. & *Eccleſ*. 1. Terrę nomine materiam deſignari volunt.

Quid Sancti Patres ſenſerint de Statione, & immobilitate Terræ.

CAPVT QVARTVM.

CIRCA Sanctos Patres aduertendum, eos ſuppoſuiſſe potiùs quàm aſſeruiſſe Terræ Stationem, iuxta communem Philoſophorum ſententiam, Vnde Baſilius *In cap.* 13. *Iſaiæ*, ſecundùm opinionem externæ diſciplinæ profeſſorum accepit, Terram eſſe Centrum mundi. Quamquam etiam non multum illis curæ fuit, in ijs locis Scripturæ curioſiùs expendendis, quæ Mathematicas diſputationes concernebant. Hinc idem Baſilius *Hom.* 1. *Hexam.* peculiares Terræ affectiones nolens ſcrutari, inter alia, *Adde* (inquit) *etiam, neque vllum operæ pretium ad ædificationem Eccleſiæ, tale ſtudium negotiumq; conferre*. Et paulò poſt: *Hæc eadem de Terra vobis ipſis conſulimus, vt ne eius ſubſtantiam quæ illa ſit curioſiùs perſcrutemini, neù vos ipſos ratiocinationum argutiolis deteratis, aut inaniter maceretis in ipſo perquirendo ſubiecto.* Quod in re noſtra de motu Terræ, peraptè detorqueri poteſt in quoſdam recentiores, qui operoſis, ſed vanis imaginationibus, inſtaurare conantur exploſam ab antiquo Pythagoræorum opinionem, quaſi noui aliquid, & inauditi adinueniſſent. Similia habet S. Ambroſ. *In Enarrat. in Pſal.* 118. ſuper illa verba, *Fundaſti Terram, & permanet*. S. Auguſt. *Lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 9. *&* 10. Iſidorus Peluſiotes *in Epiſt.* 273. *ad Ophelium Grammaticum*. Et *epiſt.* 100 *ad Paulum*. Ex quorum fusè dictis colligitur Sanctos Patres Spiritualibus ſemper intentos, vt dicit Ambroſius, & vitæ æternæ profutura, vel cognoſcere geſtientes vel docere, non magnoperè curaſſe ſubtilioris Mathematicæ inſtituta; quòd quemadmodum innuit Peluſiotes, ea omnia explorata habere, quid ad bene beateque viuendum vtilitatis afferat, haud viderent. Vnde S. Auguſt. *Cap.* 9. *citato. Multi* (inquit) *multum diſputant de ijs rebus, quas maiore prudentia noſtri maiores omiſerunt, ad beatam vitam non profuturas diſcentibus, & occupantes quod peius eſt multum prolixa, & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia. Quid enim ad me pertinet, vtrum Cælum ſicut ſphæra vndique concludat Terram, in media Mundi mole libratam, an eam ex vna parte deſuper velut diſcus operiat?* Et Peluſiotes. *Quid ad virtutem allaturum eſt,*

ſi

ſi quis Solis curſum, & Lunæ Orbem, & Stellarum, & Terræ figuram, ac ſpatium inquirendum ſuſcipiat, aliaq; omnia quæ homines ſuo iudicio ſapientes & eruditi, curioſè indagantes, à veritate quidem exciderunt, in nugis autem & ſermonum ineptijs vitam conſumpſerunt.

Quamuis autem quieſcere Terram ſupponant potiùs Patres, quàm præter inſtitutum inquirant; nihilominus vbi res vrgebat, officio non defuerunt. Itaque S. Baſilius loco citato *Homil. 1. Hexam.* non ſolùm ſupponit Terram ſtare immotam, ſed etiam ex aliorum, & præcipuè Ariſtotelis ſententia, cuius etiam rationes adfert, multis oſtendit Terram eſſe Centrum Vniuerſi; ac tandem ſubdit. *At vniuerſi medium, inferum eſſe locum, noſtra iam oratio demonſtrauit.* Et paulò poſt. *Si quid eorum, quæ dicta ſunt, probabile tibi videatur, ad Dei ſapientiam, quæ res omnes ita inſtituit atque diſpoſuit, admirationem transferto: non enim admiratio quæ maximas ob res oritur, cùm modus, cuius gratia fit aliquid admirabile, fuerit inuentus, imminui ſolet. Sin hoc: at certè ſimplicitas fidei rationalibus demonſtrationibus plus apud te obtineat. Hæc eadem de Cæli quoque natura dixerimus.* Ita Magnus Baſilius longè modeſtiùs de doctrina Ariſtotelis hac in parte ſentiens, quàm quidam recentiores. Eandem doctrinam *In Cap. 13. Iſaiæ*, paucis coarctat, ne alibi obiter, & non de induſtria ſenſiſſe videatur.

S. Ambroſius, etſi loco citato dicat, non eſſe curæ Sanctis axem Cæli & elementorum ſpatia, philoſophico more numeroſq; deſcribere; quod tamen huc ſpectat, non negat, immò aſſerit, Terram in medio eſſe, Centri immobilis vicem obtinere: hoc duntaxat addit, *Stabilitatem non ex eo habere, quòd in medio quaſi æqua lance ſuſpendatur, & ſuis libramentis ſtabilis perſeueret, ſed quia Maieſtas Dei, voluntate ſua ea lege eam conſtringit, vt ſupra inſtabile & inane, ſtabilis perſeueret, non fundamentis ſuis & fulcris nixa, ſed quia Dominus ſtatuit, & firmamento voluntatis ſuæ continet, quia in manu eius ſunt omnes fines Terræ.* In quo ſenſu non ſemel loquitur *Lib. 1 Hexam. cap. 6.* Eademq; eſt ſententia Baſilij *Hom. 1. in Hexam.* Gregor. Nazianz. *Orat. 34.* Chryſoſt. ſuper illud *Pſal. 102. Fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* Hilarij ſuper *Pſal. 135. Fundaſti Terram ſuper aquas.* Damaſceni *lib. 2. cap. 10.* Qui tamen non excludunt cauſas naturales, ſed duntaxat admirabilem hanc ſtabilitatis rationem, in primam rerum cauſam, quæ eſt voluntas & potentia Creatoris refundunt. Vnde Ambroſius prædicto loco, *Laudent* (inquit) *alij quòd ideo nuſquam decidat Terra, quòd ſecundùm na-*

naturam in medio regionem poſſideat ſuam eoq; neceſſe ſit manere in regione ſua, nec in partem alteram inclinari, quando contra naturam non mouetur, ſed ſecundùm naturam, &c. Ego tamen qui profundum maieſtatis eius; & artis excellentiam non queo comprehendere, non diſputationis meæ libramentis committo atque menſuris, ſed omnia repoſita in eius exiſtimo poteſtate, quòd voluntas eius fundamentum ſit vniuerſorum, & propter eum adhuc mundus hic maneat. Hæc Ambroſius: qui nihilominus ibidem diſputat de motibus elementorum ſecundùm naturam, & rectè aſſerit vnum omnibus motum non eſſe aptum. Denique quod huc facit, *In Enarrat. in Pſal.* 118. antequàm dixiſſet non eſſe curam Sanctis axem Cæli, & elementorum ſpatia philoſophicè deſcribere, iam conſtituerat Terram in medio inſtar Centri eſſe. *Terra autem* (inquit) *fundamentum eſt in quo conſiſtimus, licet ipſam in meditullio Cæli eſſe, & is qui foris eſt ſermo* (Peripateticorum) *concelebret, & Scriptura ſignificare videatur dicente Iob* (Cap. 26.) *Suſpendens Terram in nihilo: Includitur ergò Orbe Cæleſti, & ideo Sol noctibus non videtur, quia gyrando in inferiore inuenitur Orbis parte Cæleſtis.* Quæ Ambroſij verba diligenter hoc loco ſunt notanda, quòd ſententiam Philoſophorum Terram in medio conſtituentium, S. Scripturæ conformem videri, atteſtentur.

S. Auguſtinus *Lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 9.* Et ſi dicat non ad ſe pertinere de figura Cæli, &c. Addit tamen. *Sed quia de Fide agitur Scripturarum, propter illam cauſam, quam non ſemel commemoraui, ne quiſquam eloquia diuina non intelligens, cùm de his rebus tale aliquid vel inuenerit in libris noſtris, vel ex illis audierit, quod perceptis aſſertionibus aduerſari videatur, nullo modo eis cetera vtilia monentibus credat; breuiter dicendum eſt de figura Cæli hoc ſciſſe authores noſtros, quod veritas habet; ſed Spiritum Dei qui per ipſos loquebatur, noluiſſe iſta docere homines, nulli ſaluti profutura.* Hæc Auguſtinus, multis deinde explicans, quæ in ſubiecta materia aduerſari videbantur. Cuius verba, ſi ad rem noſtram accommodentur, dicere poſſumus. De Statione Terræ hoc ſciſſe authores noſtros, (Apoſtolos nimirum, & antiquos Patres, Scripturarum interpretes,) quod Veritas habet, ſed Spiritum Dei, qui per ipſos loquebatur, noluiſſe iſta docere homines, nulli ſaluti profutura. Quia tamen exorituri erant aliquando, hodièq; exoriuntur non pauci, inſtabiles, deprauantes Scripturas, non acquieſcentes ſermonibus, & quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ, ſed ſanam doctrinam non ſuſtinentes, ad ſua deſideria coaceruantes ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertentes, ad fabulas autem conuerten-

gentes, & noua Cælorum ſyſtemata falsò comminiſcentes: his quia de fide agitur Scripturarum, ne ſi inutilia iſta non reuincantur, ab vtilibus etiam excidant, & paulatim à Fide cum Pythagoræis aberrent, oſtendendum eſt, hanc etiam veritatem ipſis aduerſam, haberi in Scripturis, & ſciſſe maiores noſtros. Idem porrò Auguſtinus ad alteram quæſtionem de Cæli motu, ita tandem reſpondet, eludendo rationes opponentium, vt veritatem pro re ſua, admiſſis etiam varijs hypotheſibus, ſemper ſeruare conetur indemnem.

Nec aliter de Iſidoro Peluſiote ſentiendum; & ſi qui ſunt alij, qui huiuſmodi argumenta non ad ſe pertinere arbitrati, maluerunt præterire Stationem Terræ, quàm inanibus inquiſitionibus, quod certum accipiebant, in dubium reuocare. Id præſtitiſſe videtur ipſe Peluſiotes, qui cùm aliquot Terræ affectiones enumeraſſet, de quiete reticuit, tanquam certò eam ſupponens. Iam verò ſi ceteros accenſere velimus, qui hoc ipſum aut expreſsè aſſerunt, aut implicitè ſignificant, aut certè eiuſmodi doctrinam tradunt, ex qua neceſſe eſt id conſequi, vereor ne modum huius tractationis excedamus: paucos duntaxat præter iſtos afferemus.

Clemens Alexand. *in Orat. adhortat. ad Gentes*. *Hoc tibi* (inquit) *& Vniuerſum numeroſè concinneq; exornauit, & elementorum diſſenſionem in ordinem redegit conſonantiæ, vt ei totus mundus fieret Harmonia. Et Mare quidem dimiſit ſolutum, ei autem vt Terram inuaderet prohibuit; Terram autem rurſus ſtabilem, & ſolidam effecit, quæ ferebatur, & ei Mare terminum præfixit*. Hæc Clemens. Ex quibus notandum, haud rectè dici Deum elementorum diſſenſionem in ordinem conſonantiæ redegiſſe, ſi Terra grauiſſimum, & opaciſſimum corpus, vel inter Planetas referatur, vel non infimum inter elementa, adeòq; in medio Vniuerſi locum ſortita ſit. Ea quippe Harmonia, qua diſſenſionem elementorum in ordinem redegit, ſi in vlla re, maximè in ſitu ſpectari debet, qui iuxta qualitates primas & ſecundas, ſymbolas & diſsymbolas, talis neceſſariò euaſit, qualem Peripatetici poſuerunt, idque luculenter intendit Clemens cùm ſubiecit. *Iam verò ignis quoque vehementiam aëre emolliji, velut Doricam Harmoniam Lydia*, hoc eſt vehementem, & acrem ſonum cum mitiori, & molliori attemperans. Quod ipſum de Terra, & aqua inter ſeſe, & ſingulis denique elementis inuicem temperatis, dici debet, vt extremos velut vniuerſorum ſonos, ita in ſe Conditor temperaret, quemadmodum Netæ, hoc eſt extremæ in Muſicis inſtrumentis chordæ, quæ & grauitate, & acumine reliquas ſuperant, numeroſè & concinnè contemperantur. Hinc & Mare ſolutum dimiſit

miſit Terram verò ſtabilitatis, & quietis legi aſtrinxit, Vnde & hoc alterum venit aduertendum. Stabilitatem Terræ, opponi motui, & liberæ Maris agitationi per varios æſtus reciprocanti, vt proinde omnis motus naturalis, circulariter, ſiue perfectus ſiue imperfectus, Terræ negandus ſit ex ſententia Clementis. Quòd autem addit Terram ſolidam effectam quæ ferebatur, vel loquitur ex ea opinione, quæ Terram aquis ſuſtineri docuit, vel melius ex ea, quæ ſuper aquas firmatam exiſtimauit.

S. Iuſtinus Martyr *In reſpon. Quæſt. 59. Stare* (inquit) *Cælum, & Terram, quia in diuerſa nitantur, in primo Cælo, & Terra licet hæc conijcere, quia ſimul facta ſunt, ſed in Firmamento, & Terra non iam poteſt id cogitari, ſtabat enim Terra ante Firmamentum, portans vniuerſam humidam ſubſtantiam, ſine retractione Firmamenti, nam poſt Terram factum eſt Firmamentum*. Loquitur autem Iuſtinus de primo Cælo, hoc eſt Empyreo, cui tanquam immobili, opponit Terram ſimiliter immobilem, ac in diuerſa nitentem, hoc eſt extremè diſtantem, atque adeò in infimo loco ſtabilis Centri rationem obtinentem. Quòd verò ad eam Quæſtionem de qua ſupra Capite Primo egimus, ſi nimirum Sol noctu occultatur, quomodo Cælum non probatur globus eſſe, aliam reſponſionem videatur afferre; probabiliter tantùm, neque admodum congruè ſoluit. Deni-que non negat omnem circumlationem, vnde globoſitas Cæli deduci queat, vt patet conſideranti exempla ab eodem allata, & reſponſionem cum interrogatione conferenti, quæ hic breuitatis cauſa omittimus. Ceterùm quòd eo ſitu velit eſſe Terram in diuerſa nitentem, vt Vniuerſam portet humidam ſubſtantiam, ſatis innuit infimo loco eſſe conſtitutam, nec vllo modo moueri; idem enim eſt Iuſtino portare, hoc loco, atque ſuſtinere, alioqui motum de loco ad locum non euitaret.

Arnobius Afer *Lib. 3. aduerſ. Gentes*. Affert quorundam antiquorum opinionem, qui diuerſis de cauſis Terram magnam Matrem, Cererem item, denique Veſtam eò dixerunt, quòd in Mundo ſola ſtaret, ceteris eius partibus mobilitate in perpetua conſtitutis. Quæ etſi fabuloſa ſint ea ex parte, qua Terram vt Deam colentes, eo vocabulo appellarint, quia tamen antiquæ, & receptæ veritati de Terræ Statione innituntur, authoritatem habent hoc loco eò maiorem, quòd cùm fabulas repudiet Arnobius, ſtare tamen Terram loco fixam ceteris partibus perpetuò motis non improbet.

S. Athanaſius *In orat. cont. Idola*. Videtur quidem ſentire Terram ab Aqua portari, expreſsè tamen nec ſemel aſſerit, natura omnium

gea-

grauiſsimam non ſubſidere, ſed ſtabiliri, & immobilem conſiſtere: in eoq; inter cetera opponit Aquæ, quòd licet hæc quoque per ſe grauis ſit, deorſum tamen deflu‍it, cùm interea Terra immobilis conſiſtat, & in medio velut vndequaque colligata contineatur. Quæ profectò non rectè dicerentur, ſi Terra in gyrum verteretur, quomodò enim non deflueret ſecundùm partes circumferentiæ à ſummo ad imum? aut quomodò in medio quaſi colligata contineretur? Addit demum Athanaſius *Terram immobilem permanentem fructificare, hominem fingi, & rurſum viuere, & mori.*

S. Hieronymus *in Pſal.* 12. Terram dicit infimam elementorum, *quia finis creaturarum Terra eſt.* quòd ſi infima, ergo non ſupra Solem. Et *In cap.* 13. *Ierem.* ſuper illa verba. *Hæc dicit Dominus, ſi menſurari potuerint Cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta Terræ deorſum, & ego abijciam vniuerſum ſemen Iſrael,* &c. *Quomodò* (inquit) *Cælum non poteſt eo quod eſt, eſſe ſublimius, nec Terra humilior eſſe eo quod eſt, ſic & genus Iſrael nequaquã poterit reprobari.* Quæ ſi vera ſunt, quomodò Terra ponitur extra Centrum, & ſupra Solem in Centro quieſcentem inter Planetas ſydereos? Vbi notanda lectio Septuaginta. *Si eleuatum fuerit Cælum ſublimiùs, & ſi humiliatum pauimentum Terræ deorſum, & ego non reprobabo, genus Iſrael*: Comparatur enim ſublimitas Cæli cum humilitatẽ Terræ, tanquam tectum cum pauimento, quæ ſine dubio extremè diſtant in ædificio Vniuerſi, proinde Terra non poteſt eſſe niſi in medio, immòta quaqua verſum inſtar pauimenti, & fundamenti; ita vt quemadmodum deducit Hieronym. ſicut impoſsibile eſt Cælum ſublimius (intellige naturæ viribus) attolli, ita & Terram magis deorſum ferri, & conſequenter impoſsibile moueri; qui ſenſus faciliùs elicitur ex lectione Septuaginta, ex qua etiam ſuum Syllogiſmum elicit Hieronymus, vt quemadmodum impoſsibile eſt menſurari, & cognoſci altitudinem Cæli, & inueſtigari fundamenta Terræ, & extrema eorum ratione comprehendere, ſic & vniuerſum ſemen Iſrael reprobari. At ſi Terra non eſſet in medio Vniuerſi, in nihilo ſuſpenſa, & immota profectò non eſſet difficile eius rationem cognoſcere, ſicut nec Planetarum in liquido errantium curſus deprehendere, difficile verò imò impoſsibile eſſet, Solis quieſcentis rationem inueſtigare, de quo tamen quatenus mouetur plurima ſcimus.

S. Chryſoſtomus *In Cap.* 1. *Geneſ. Hom.* 2. In illud. *In principio creauit Deus Cælum & Terram. Attende*, ait, *nunc, quomodò ex ipſo opificij modo, diuinæ naturæ dignitas eniteſcat. Nam Deus præter humanum morem, ſuum perficiens ædificium, prius Cælum extendit,*

poſtea & Terram ſubſternit, prius culmen, & poſtea fundamentum, quis tale quid vidit, quis audiuit? Sanè ſi Cælum culmen, & Terra fundamentum eſt, ſicut illud in ſummo, ita hoc in imo eſt, & ſicut fundamentum ædificij non mouetur, ita nec Terra. Idem *Homil. 2. in Feſto Inuent. S. Crucis,* expreſsè aſſerit, Terram eſſe inanimatam, & immobilem, proinde excludit ab ea omnem motum circularem, qui non poteſt prouenire niſi à forma vel informante, vel aſſiſtente. Quippè ſi anima prædita non eſt, nulla erit maior ratio, cur in vnam potiùs quàm in alteram partẽ inclinetur, quod determinare eſt animæ vel informantis, vel aſſiſtentis. Denique *Homilia 12. ad Popul. Terra* (inquit) *fixa eſt, aquæ verò ſemper mouentur, neque aquæ tantùm, ſed & nubes, & imbres continui, & ſucceſſiui, tempore proprio redditi*.

S. Iſidorus Hiſpal. *Lib. De nat. rerum, cap.* 44. Poſtquam dixiſſet Terrę poſitionem ſufficienter haberi ſecundùm illud *Iob 26. Suſpendit Terram in nihilo*, citat ſententiam Philoſophorum, qui aëre denſo Terram ſuſtineri opinantur, & ſupponit ex ea, Terram tanquam ſpongiam eſſe immobilem, ex omni parte libratam, nec in alteram partem poſſe inclinari. Quærit præterea an ſuper Aquam pendeat, ob illud Pſal. 135. *Firmauit Terrã ſuper aquas*, & quomodo æquitatis libram teneat, ne in alteram partem propenſa incumbat. Supponit itaque Iſidorus nullo modo moueri Terram circulari conuerſione, ſicut nec mouetur ea ratione Spongia in aëre, nec corpus vllum in aquis, quod æquitatis libram tenet, ne in alteram partem propendeat. Laudat pro eadem ſententia Ambroſium. Quomodò autem id fiat, *nulli* (inquit) *mortalium ſcire fas eſt, nec nobis diſcutere, aut perſcrutari licere cuiquam, tanquam diuinæ artis excellentiam, dum conſtet eam lege Maieſtatis Dei, aut ſuper aquas, aut ſuper nubes ſtabilem permanere*.

S. Ioannes Damaſcen. *Lib. 2. de Fide cap. 10. Terra* (inquit) *vnum eſt ex quatuor elementis, ſiccitate, frigiditate, & grauitate præditum, motusq; expers primo die, in ortum productum. Cuinam autem rei inſideat, quoue fundamento nitatur, à nemine mortalium dici potuit*. Demum vbi varias variorum ſententias recenſet, in potentiam Dei omnia refert, quemadmodum Ambroſius, & Iſidorus, & alij. Quòd ſi Terra moueretur circa Solem, inter cæleſtes conſtituta Planetas, vix rectè diceretur, à nemine mortalium dici potuiſſe, quo fundamento innitatur in ſuo motu.

Procopius *In illud Gen. 1. In principio Deus creauit Cælũ, & Terrã:* Eadem planè habet, quæ paulò ante ex Chryſoſtomo retulimus. Et *in*

cap. 13.

cap 13. *Iſaiæ*, in ea verba, *Super hoc Cælum turbabo, & Terra mouebitur de loco ſuo:* Vel vt ipſe legit, *Cælum iraſcetur, & Terra mouebitur à fundamentis ſuis: Ipſam* (inquit) *externæ diſciplinæ ſectatores in ambientis vndique Cæli puncto non dubitāt aſſerere, æquo enim ſuſpenſam libramine, cùm pari vndique diſtet interuallo, immotam eſſe neceſsè eſt.* Item *In illud cap.* 42. *Qui fecit Cælum, & fixit eum, qui firmauit Terram, & quæ in ipſa*, &c. *Dixit* (inquit) *Cælum fixum, vt aqua conſtare ſecundùm Moſe ſententiam, non igne ſicut profanæ ſapientiæ Magiſtris placet, indicaret: Dixit firmari Terram. Ideò putant nonnulli, quòd in ipſo Mundi medio librata permaneat immobilis.* Quam ſententiam cùm non impugnet Procopius, vt alioqui conſueuit, ſupponit tanquam veram, & præterea non obſcurè inſinuat, Philoſophos antiquos ex S. Scriptura hauſiſſe ſuam, de ſitu & immobilitate Terræ opinionem.

Theodoretus *In Pſal.* 103. *Qui fundaſti Terram ſuper ſtabilitatem ſuam,* (vt Aquila, & Symmachus legunt; *ſuper ſedem eius) non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Cùm* (inquit) *ipſam ſuper ſeipſam fabricaſſet, dedit ipſi vt nunquam moueatur, & hoc modo permaneat quatenus ipſe voluerit: Sic & alibi* (inquit) *Suſpendens Terram ſuper nihilum. Iob* 26. Sentit igitur Theodoretus Terram ex inſtituto creationis accepiſſe, vt immota iuxta Creatoris voluntatem permaneat. Rectè verò hinc inferunt aliqui, Terram ſuper ſeipſam fabricatam, & firmatam eſſe, hoc eſt in loco ſuo naturali conſtitutam, in quo nata eſt conſeruari, & quieſcere, nimirum in Centro mundi, infimo totius Vniuerſi loco, proinde non indigere externo fundamento ſuſtentante, cùm à ſua grauitate tanquam intrinſeca virtute conſeruante ſolidetur, & figuretur, perinde atque extremum Cælum, extrinſeco termino non clauditur, ſed proprio conuexo. *Comment. in Damaſc. lib.* 2. *de Fide, cap.* 10.

S. Bernardus *In Pſal. Qui habitat, ſerm.* 11. Angelos dicit eſſe *in ſummo, & in tuto; homines nec in ſummo, nec in tuto, ſed in cauto, denique in ſolido.* id eſt in Terra *habentes locum imum, ſed non infernum.* Quod ſi Terra in imò eſt reſpectu Cæli, conſequens eſt, vt ſit in medio, & ceteris conſideratis, Centri immobilis vicem gerat. Cùm verò dicit Bernardus: *Habentes locum imum, ſed non infernum,* loquitur ex vulgata ſententia, quæ locum damnatorum in Centro Terræ conſtituit.

Denique ne in infinitum abeamus, Philo Iudæus, his omnibus antiquior. *Lib. de Confuſ. Ling. Etiamſi,* ait, *vniuerſæ Terræ partes ſuperſtruerentur fundamento modico, aut in vnius columnæ formam*

attollerentur, tamen longiſsimo interuallo abeſſent à Sphæra ætherea, præſertim iuxta opinionem Philoſophorum, qui ſcrutantur talia, Terram Centrum eſſe mundi aſſeuerantium. Hæc Philo. Ex quibus ſatis liquet, quàm antiquam, & ratam Patres habuerint Philoſophorum opinionem de loco, & immobilitate Terræ: quando id tanquam certum, & probatum pro re ſua aſſumpſerunt, nihil ſimile opinantes, nedum ſibi perſuadentes de Sole in medio conſtituto.

Huc reuocari poſſunt omnes illi Sancti Patres, qui Terram in aquis fundatam ſenſerunt, neque enim aut Terram in ijs circumuolui, aut cum Terra aquas rotari vnquam dixerunt. Vide Clem. Rom. *Lib.* 8. *Recognit.* Athanaſium *Oratione contra Idola.* Hilarium *ſuper Pſal.* 135. Euſebium *ſuper Pſal.* 23. Chryſoſtomum, Procopium *locis citatis*. Quos tamen verè locutos conſtat, quatenus vel Terra ſuperior eſt aquis, vel iuxta aquas. Vide Baſilium *Hom.* 1. *in Hexam.* Auguſtinum *in Pſal.* 135. Ruffinum, Euthimium, Caſſiodorum, Haymonem, Brunonem *In eundem Pſalmum*.

Iam quod ad Patres Scholaſticos ſpectat. Inter alios *S. Thom. Lib.* 2. *de Cælo. Lect.* 2. Terram expreſsè aſſerit immobilem, rotundam, & Sphęricam. Et *In op.* 10. *art.* 16. Docet Angelum *naturali virtute non poſſe mouere totam Terræ molem, vſque ad globum Lunæ, quia nulla virtus Creaturæ poteſt immutare ordinem principalem partium Vniuerſi, ad quem pertinet, quòd Terra ſit in medio collocata. Videtur tamen mihi contrarium poſſe tolerari abſque Fidei periculo, ſi tamen referat intentionem ſuam ad ponderis quantitatem, non ad prædictum Ordinem Vniuerſi*. Quæ verba notanda ſunt. Sentit enim S. Thomas implicitè, attento Ordine Vniuerſi, quo Terra neceſſariò ſiſtitur in medio, abſque periculo Fidei dici non poſſe, ipſam eſſe loco mobilem, proinde nec poni poſſe in magno Orbe ſupra Solem. Pergit. *Si autem quæratur de motu circulari, per quem dictus ordo non variatur, videtur* (inquit) *quòd naturaliter Terra quieſcat*; quaſi & hoc negandum ſit Angelo, niſi virtute ſupra naturam, vel certè violento motu contra Terrę naturam.

S. Bonauent. *In cap.* 1. *Eccleſiaſt.* Terram ſimiliter ſtare diſertè aſſerit. Et quamuis loquatur etiam de duratione quoad ſubſtantiam, cùm tamen dicat Solem peculiari motu moueri, ſentit de Statione Terræ quatenus opponitur huic peculiari motui Solis, qui eſt in Circulum, & per varios flexus, vt ibidem fusè explicat.

Dionyſius Carthuſian. *In Eccleſ. cap.* 1. Et *Iob cap.* 9. Et *In Pſal.* 92. aſſerit Terram perpetuò permanere fixam in medio, immobilem, tanquam Centrum. Etſi verò videatur loqui de duratione, idem tamen

di-

dicturus fuiſſet de motu circulari, ſiue in proprio loco, ſiue extra, ſicut & ceteri, ſi vnquam talis motus tanquam rationabilis, in mentem illis veniſſet, excluſis præſertim opinionibus eorum, qui talem motum ſomniauerant.

Denique huius ſententiæ ſunt omnes illi Patres, & antiqui Authores, qui Scripturam de Terræ Stabilitate loquentem, in ſenſu morali accipiunt. *Theodorus*, *Caſsiodorus*, *Bruno*, *Remigius*, *Haymo*, *Dionyſius Carthuſianus*, *& alij in Pſal.* 92. Quibus addi poteſt *Richardus de S. Vict. part.* 1. *lib.* 1. *de Erudit. hominis*, *cap.* 1. Omnes enim iſti ſupponunt ſenſum literalem, in quo ſenſus ſpiritualis, cuiuſmodi eſt moralis, fundatur, vt rectè notat. *S. Thom.* 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 10. *in corp.*

Oſtenditur, eiuſdem loci S. Scripturæ plures eſſe ſenſus literales.

CAPVT QVINTVM.

ID etſi aliqui negent, omninò tamen affirmatiuam veriorem eſſe plures alij ſine exceptione, ſentiunt cum S.Thoma 1.*par.quæſt.*1. *art.* 10. hac efficaciſſima ratione. *Quia cùm ſenſus literalis ſit quem Author intendit, Author autem S.Scripturæ Deus eſt, qui omnia ſimul intellectu ſuo comprehendit, non eſt inconueniens ſi etiam ſecundùm ſenſum literalem, in vna litera Scripturæ, plures ſint ſenſus.* Quæ ratio elicitur ex S.Auguſtino *Lib.* 12. *Confeſſ. cap.*18.19.20.24. *&* 31. Cui etiam occaſio fuit, tam fusè diſputandi de vero ſenſu literæ, in eo loco *Gen.*1. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Nam cùm multę à diuerſis afferrentur eius dicti interpretationes, nec poſſent ita diſtingui, vt altera ſenſum literalem redderet, altera myſticum; vel omnes myſtici ſenſus dicendi erant, & ita nec falſum, nec verum inferebant, neque enim ſenſus myſtici aliquando adimplentur, cùm non eliciantur ex litera, ſed potiùs applicentur à libera voluntate: vel omnes dicendi erant ſenſus literales, & conſequenter à Spiritu ſancto intenti; cuiuſmodi cùm plures afferat S. Auguſtinus *Lib.*12. *Confeſſ.* ſi omnes in eum locum quadrant, quia myſtici eſſe nequeunt, nec vllus alterius figuram continet, omnes literales ſint neceſsè eſt. Atque hæc ſententia, cuius oppoſitam nonnemo temerariam dixit, tanquam vera cenſenda eſt.

Quæ vlterius ex S.Scriptura probari poteſt. Nam illud *Exodi* 12. *Et Num.* 9. *Nec os illius confringetis.* Vel: *Et os eius non confringent*: de agno Paſchali dicitur ad literam; & nihilominus ad literam intelligitur etiam de Chriſto. *Ioan.* 19. quia vtrunque intendit per ipſam literam ſignificare Author eius, & vtrunque eſt adimpletum, illud quidem ſingulis annis, hoc autem in Paſsione Chriſti, quod expreſsè fatetur Ioannes. *Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo.* non poteſt autem adimpleri niſi ſenſus literalis.

Item 1. *Paralip.cap.*22. *Ipſe erit mihi in filium, & ego ero ei in Patrem*, ad literam intelligitur de Salomone: Et tamen de Chriſto allegat Paulus *Ad Hebr.* 1. in ſenſu nimirum literali, & non allego-

rico,

rico, quia alioqui non poſſet induci ad probationem, cùm ſenſus myſtici nihil probent, niſi quando ſenſus myſticus efficitur literalis, velut *Ad Galat.* 4. per duas Vxores Abrahæ, intelliguntur duo Teſtamenta; & per Ieruſalem Ciuitatem, Ieruſalem quæ ſurſum eſt libera, id eſt Patria beatæ vitæ æternæ. Rarius tamen accidit, vt vnus ſenſus tranſeat in alium.

Rurſum, illud *Pſal.* 2. *Dominus dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te*: exponitur de æterna generatione ex Patris ſubſtantia, *Ad Hebr.* 1. quod notat S. Auguſtinus *in eundem Pſal.* Et tamen de glorioſa Chriſti Reſurrectione accipitùr *Actor.* 13. De Chriſto ad Sacerdotium promoto *Ad Hebr.* 5. Vt iam non duplicem ſolùm, ſed triplicem ferat literæ ſenſum.

Sic, *Illud Ioan.* 11. *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo*: In vno ſenſu protulit Caiphas, in alio accepit Ioannes à Spiritu ſancto edoctus, vt legenti patet. Quod item dicitur *Danielis* 9. *Et erit in Tẽplo deſolatio abominationis*, Chriſtus euẽturum prædixit *Matth.* 24. & tamẽ impletũ eſſe in Antiocho Epiphane colligitur *ex* 1. *Machab.* 1. Præterea illud *Iſaiæ* 53. *Verè lãguores noſtros ipſe portauit*, *Matth.* 8. allegatur pro morbis corporalibus: At S. Petrus *Epiſt.* 1. *cap.* 2. refert ad peccata, quem ſenſum habent etiam Septuaginta.

Denique *Habacuc* 2. de primo Chriſti aduentu dicitur. *Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur*: Et tamen Paulus *Ad Hebr.* 10. interpretatur de ſecundo aduentu. Sic de pluribus alijs S. Scripturæ locis eſt intelligendum, vt verum ſit quod dicit S. Auguſtinus *Lib.* 3. *de Doct. Chriſt. cap.* 27. *Quid in diuinis eloquijs largius, & vberius potuit diuinitùs prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina conteſtantia faciunt approbatum*.

Toties porrò intelligitur multiplex ſenſus literalis, quoties accidit multiplicitas aliqua æquiuocationis, amphiboliæ, compoſitionis, diuiſionis; vt occurrit in noſtro propoſito, vbi Terram in æternum ſtare, intelligi poteſt de Statione oppoſita motui locali & circulari, & de ſtabilitate ſecundùm durationem. Licet autem ſenſus literalis ſemper ſit determinatus, & ſicut litera vnica eſt, ita non poſſit, ex ea elici niſi vnicus ſenſus; ſi tamen non attendatur conditio literæ, ſed mens Authoris, qui plura per eandem literam voluit ſignificare, ab Authore prouenit plures eſſe ſenſus literales, qui tamen conſtare debent ex alio loco Scripturæ, & præterea debent eſſe determinati, non confuſi, velut ex ſupra poſitis exemplis liquet: alioquin non poterunt intelligi per eandem literam plures ſenſus: proinde ſiue vnicus

ſit

ſit ſenſus literalis, ſiue plures, ſemper eſt ſenſus determinatus, quatenus ex litera poteſt haberi, & non alio modo. Et quia ſi plures ſunt ſenſus literales, vnâ etiam ſunt determinati, ideò ſciri poteſt quando Scriptura vel nullo modo eſt impleta, vel impleta in vno tantum, & non in alio, vel demum quando in omnibus; ita tamen vt ſi plures ſint ſenſus qui videantur æquè principales, tum dicantur verificari ſenſus literales, quando omnes verificantur: Vel ſi non poſſunt eſſe plures æquè principales, vt quidam putant, tunc litera dicatur impleri quando præcipuus eorum verificatur. Itaque in exemplo ſupra poſito, *Os non comminuetis ex eo*, ſingulis annis in Paſchate verificabatur, & nihilominus expectabatur complenda; vel ſi principalior ſenſus eſt, qui de Chriſto loquitur, tum præcipuè litera eſt verificata, quando in morte Chriſti euentus præſtitus eſt. Idem dico de dictis *Daniel.* 9. Et *Abacuc*.2.

Vnum hic aduerte. Quod diximus ſuperiùs, ratione æquiuocationis oriri multiplicitatem ſenſus literalis, non eſſe accipiendum de propria æquiuocatione, quæ ad Sophiſticam pertinet, & propriè fallacia dictionis dicitur, ſoletq; tum propriè euenire, cùm enunciatio in vno ſenſu eſt vera, in altero falſa, ex quo præbetur occaſio errandi; ſed loquimur de æquiuocatione, in qua cùm plures ſenſus veri, ac determinati ſunt, intellectus tamen aut ignorat omnes eſſe veros, aut ſi nouit, dubius tamen eſt, quis ſit magis ad mentem dicentis.

Senſus

Senſus literalis huius propoſitionis Terra in æternum ſtat.

CAPVT SEXTVM.

HVIVS propoſitionis ſenſus integer, continet plures partiales Veritates. Ex quibus vna eſt *Terram ſtare.* Hoc eſt nullo modo moueri ſecundùm totum, vel quod idem eſt non moueri de loco ad locum, mutando ſitum & ordinem, ſiue ſecundùm ſe, ſiue per aliud, & quocunque tandem motu imaginabili. Patet. Quia verba quibus S. Scriptura vtitur, Eſſe fundatam, firmatam, confirmatam, conſiſtentem, non commouendam, firmatam ſuper ſtabilitatem ſeu ſedem ſuam, denique ſtantem & fixam, non mouendam à fundamento ſeu loco ſuo; id verè ſignificant, quod eſt eſſe omninò immobilem ſecundùm totum. Adde quod hæc propoſitio *Terra in æternum ſtat*, in Hebræo hunc ſenſum facit *Terra in æternum fixa, & conſiſtens eſt*, proinde ſignificat ſtatum motui locali oppoſitum, Et verbum primitiuum quo effertur, verè firmitatem & permanentiam quandam dicit, qualis ſolet eſſe columnæ erectæ & fixæ, ædificium immobiliter ſuſtentantis.

Atque hic ſenſus eſt ſimplex ſenſus, ſecundùm proprietatem vocum acceptus ſine vllo inconuenienti, vt non ſit neceſſarium ad vllum ſenſum Metaphoricum recurrere; immò verò ita congruens diuerſis locis Scripturæ, vt non repugnent inuicem, ſed potiùs mutuò ſeſe explicent, quod ſignum eſt, eſſe ſenſum intentum à Spiritu ſancto, ſicut contra, non poſſet dici intentus, ſi repugnaret alteri loco Scripturæ. Verum enim Vero non repugnat. Vide S.Thom. *Quæſt.* 4. *de Potentia, art.* 1. Quam cauſam puto eſſe cur huiuſmodi motus localis, vix aliquis Patrum diſertè meminerit, tanquam ſi nihil dubij præ ſe ferret. Omnia porrò dicta Scripturæ, quæ motum Terræ videntur affirmare, commodè, nec alia ratione debent explicari, quàm de motu prodigioſo ac præter naturam: nec enim vnquam huiuſcemodi commotionem Scriptura producit, niſi in ſignum diuinę omnipotentiæ, aut indignationis, & interdum comminando. Vide 2. *Reg.* 22. Et *Pſal.* 17. Idem colligitur ex proprietate verbi Hebræi, quo in id genus commotionibus exprimendis, ſacer textus ferè vti conſueuit, quemadmodum videri poteſt *Deuteron.* 28. *Prou.* 30. *Iob.* 26. *Ioan.* 14.

*Ierem.*51.*Ioel* 2. Licet interdum & reuerentiam creaturarum denotet reſpectu Creatoris *Pſal.*103. *Eccleſiaſt.*16. *Iſaiæ* 41. Hinc Philaſtrius *Lib. de Hæreſib.* appellat Hæreticos & vanos Philoſophos illos, qui Terræ motum, rerum & elementorum naturæ adſcribunt, non Dei peculiari iuſſioni & indignationi. Sed quod huc ſpectat, ponderandum eſt quod elicitur ex doctrina S. Thomæ *Opuſ.*19. *art.* 16. abſque periculo fidei non poſſe tolerari, Terram loco ſuo eſſe mobilem, ſi attendatur ordo Vniuerſi, qui Terram requirit eſſe in medio collocatam.

Ex hoc porrò ſenſu immediatè colligitur, Terram neque poſſe moueri ad motum Orbis magni circa Solem, neque motu conuerſionis in ſeipſam, verſus eandem partem cum Orbe magno, nec denique alia vertigine in contrarium circa proprium Centrum, & axem quacunque & quomodocunque inclinatum, Omnes enim iſti motus conſtituunt Terram ſecundùm totum, extra locum ſuum naturalem, modò in vno, & modò in alio Cardine Vniuerſi; idemque eueniret ſi moueretur infixa dicto Orbi, & per accidens abſque proprio motu; proinde omnes ſunt apertè contra hunc ſenſum literalem, & contra manifeſta loca S. Scripturæ ex quibus is ſenſus elicitur.

Alius ſenſus ſeu partialis veritas eſt, *Terram ſtare*, hoc eſt non moueri motu circulari in loco ſuo circa proprium centrum & axem, qualiſcunque tandem ſit huiuſcemodi motus, etſi ſitum & ordinem Vniuerſi minimè variet, minimèq; mutet locum ſecundùm totum, ſed tantùm ſecundùm partes & partium differentias, reſpectu alicuius fixi. Patet: Quia alioqui hoc ipſo inclinaretur ad alterutram partem, contra S. Scripturam: *Non inclinabitur in ſeculùm ſeculi*. Deinde, hanc ob cauſam Latinus interpres vſus eſt verbo *ſtandi*, qui omnem motum excluderet, & omnem ſenſum literalem, qui hic intentus eſt, cōplecteretur. Verbo enim *ſtandi* intelligitur apud Latinos Authores fixio quædam, quædam & negatio potentiæ ad quemcunque motum etiam circularem, quatenus applicatur Terræ, tum iuxta aliàs dicta Cubum referenti, tum etiam montibus eminētibus, aliiſq; inæqualitatibus, corpus alioqui ſphæricum, & ad motum habile impedientibus, prægrauatæ. Et in hoc ſenſu vertitur quæſtio, *An Mundo ſtante Terra vertatur?* Et, *An Mundus Terra ſtante circumeat?* Tull. *Lib.*2. *Acad. Quæſt.* Seneca *Lib.*7. *Nat. Quæſt. cap.*2. Et alioqui Latinus interpres, facilè potuiſſet ex Arabica lectione aliud verbum adhibere, niſi eiuſmodi immobilitatem intellexiſſet, qui omnem ſenſum literalem exhauriret. Adde quòd cùm Terra ſtare, & oppoſitione ſeu comparatione relatiua Sol moueri dicatur, Soli autem tribua-

buatur omnis motus in ſpecie, quem Authores ſui, Terræ adſcribunt, conſequens eſt Terram omni eo motu, qui Soli competit priuatam eſſe.

Mouetur in primis Sol motu annuo proprio, mouetur & contra, diurno, qui ſenſus ex hoc loco *Eccleſ.* 1. clarè eliciuntur; mouetur, & motu conuerſionis in ſeipſum, idq; dupliciter, & motu annuo circa axem fixum, ab occaſu in ortum; & contra motu penè menſtruo circa axem obliquum, ab ortu in occaſum, quod vtrumque demonſtrat ex macularum reuerſione, macularum primus inuentor Apelles, habetq; non parum fundamenti in hoc eodem loco, dum dicitur. *In circuitu pergit Spiritus, & in circulos ſuos reuertitur*, quod poſtremum etiam de motu conuerſionis in ſeipſum commodè intelligi poteſt. Eſſe autem hanc propoſitionem, *Terra autem in æternum ſtat*, relatiuè dictam, non ſolùm reſpectu ſententiæ antecedentis, *Generatio præterit & Generatio aduenit*, ſed etiam reſpectu ſequentis, *Oritur Sol & occidit*, &c. ſatis liquet ex epitaſi illa & repetitione, quam habet Hebræa, Græca, & antiqua Hieronymi lectio, *Et oritur Sol, & occidit Sol*; Indicat enim pendentem à præcedenti dicto ſenſum; vt cùm Terra ſtare in æternum dicatur, Sol verò & oriri & occidere, atque adeò totus eſſe in motu, eodemq; continuo; ijs omnibus modis & motibus opponatur Stationi Terræ, qui ipſi competunt, & competere poſſint. Denique hunc eſſe ſenſum literalem, cùm ex eò oſtenditur, quòd huiuſmodi motus Terræ circularis, nullus ſit in natura finis, tum maximè ex eo, quòd poſito quocunque motu circulari Terræ, plurima ſequuntur manifeſtè contra Fidem, vt in loco videbitur.

Tertius ſenſus eſt. *Terram in æternum ſtare*, hoc eſt durare, & in ſuo ſtatu permanere, ſaltem quatenus opponitur ortui, & interitui rerum. Hoc expreſsè colligitur ex verbis antecedentibus, *Generatio præterit, & Generatio aduenit*, quibus immediatè ſubiungitur, *Terra autem in æternum ſtat*; Eſt quippè ſenſus comparatiuus, quaſi dicat Terram ſecundùm ſe totam nec generari nec corrumpi, ſicut cætera, quæ vel ex ipſa, vel ſuper ipſam generantur, loquendo præſertim de humana generatione, de qua explicant, Hieronymus, Olympiodorus, Hugo, Albinus, & alij; Vt verum ſit quod Hugo hoc loco profert. *Terram ſtare, vt venientes mittat, pertranſeuntes portet, diſcedentes recipiat*. Adde idipſum haberi ex Arabica lectione. *In æternum durat, ſeu durabit*.

Dixi Terram in æternum ſtare, quatenus ſaltem opponitur ortui rerum & interitui. Nam de cetero, quod Hieronymus notat, *In ſecu-*

lum, vel *in æternum*, ſumitur pro longa, ſed finita duratione. Iccircò Olympiodorus exponit, *in longinquum tempus*. Sed S. Auguſtinus *Lib.2. locut. Exodi*. Et 1. *Quæſt. in Gen. cap.* 31. obſeruat æternum dici interdum, quod finem nullum habet, interdum quod finem reſpicit, ſed vbi, & quando, neſcitur. Ceterùm, ſicut falsò aliqui ex hoc loco, Eccleſiaſten, Mundi æternitatem aſſeruiſſe, & credidiſſe dixerunt, ideòq; huic libro fidem derogarunt; falsò etiam putet Galatin. *Lib.11. de Arcan. cap.5.* iuxta vocem Hebræam, nunquam reperiri in Scriptura æternum pro propriè dicto æterno: Ita nobis ſatis eſt hoc loco *æternum* cum Authoribus ſacris, pro longiori tempore non tamen præſcripto accipere; vt intelligi queat *Terram ſaltem in æternum ſtare*, quamdiù homines eam incolentes ſupererunt. Nec obſtat huic Stationi æternæ, quod toties mutari dicatur *Iob* 24. & paſſim; ſufficit enim mutari ſecundùm eam, quam nunc habet, imaginem, iuxta illud Pauli 1. *ad Cor.* 7. *Præterit figura huius mundi*, vt nihilominus ſine fine ſubſiſtere queat, non alia condenda, ſed illa renouanda. Quamquam ad rem noſtram ſatis ſit, Hieronymo, Auguſtino, Olympiodoro, alijsq; eiuſdem, vel ſimilis ſententiæ ſubſcribere.

Ad has porrò veritates, quatenus integrum ſenſum literalem conficiunt, confirmandas, aduerto ex S. Auguſtino *Lib.3 de Doct. Chriſt. cap.27. Quando ex eiſdem Scripturæ verbis, non vnum aliquid, ſed duo vel plura ſentiuntur, etiãſi latet quid ſenſerit ille, qui ſcripſerit, nihil periculi eſt, ſi quodlibet eorum congruere veritati, ex alijs locis Sanctarũ Scripturarũ doceri poteſt: id tamen eo conante, qui diuina ſcrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur Authoris, per quem Scripturam illam ſanctus operatus eſt Spiritus: ſiue hoc aſſequatur, ſiue aliam ſententiam de illis verbis, quæ fidei rectæ non refragantur exculpat, teſtimonium habens à quocunque alio diuinorum eloquiorum. Ille quippè Author in eiſdem verbis, quæ intelligere volumus, & ipſam ſententiam forſitan vidit, & certè Dei Spiritus, qui per eum hæc operatus eſt, etiam ipſam occurſuram lectori, vel auditori ſine dubitatione præuidit, immò vt occurreret, quia & ipſa veritate eſt ſubnixa, prouidit. Nam quid in diuinis eloquijs largius, & vberius potuit diuinitùs prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus diuina conteſtantia faciant approbari*. Hæc Auguſtinus.

Qui ex prædictis ſenſibus videatur principaliter intentus.

CAPVT SEPTIMVM.

QVAMQVAM huius dicti *Terra in æternum ſtat*, ſi conditio literæ attendatur, ſicut ipſa vnica eſt & determinata, ita non eliciatur ex ea niſi vnicus ſenſus, qui eſt immotum eſſe, ſiue non mutari; quia tamen ſubeſt amphibolia & æquiuocatio, iuxta rationem ſupra *Cap.* 5. explicatam, vt intelligi queat tàm de ſtatu ſecundùm durationem, quàm de Statione cuicunque motui oppoſita; icircò attenta mente Authoris, omnes ij ſenſus quos Capite ſuperiori explicauimus, intenduntur atque intelliguntur, omneſq; vt vidimus, ex litera eliciuntur, & ex alia Scriptura probantur; omnes præterea partim impleti ſunt, partim adhuc implentur, quatenus ſiue intrinſecè ſiue extrinſecè ſucceſsionem quandam connotant. Verum enim eſt, & duraſſe, & nullo ex modis ſupra cenſitis, motam eſſe Terram: Verum item & duraturam in æternum, in ſenſu de æternitate explicato, nec vllo modo mouendam naturaliter, quicquid ſit de poſsibili reſpectu potentiæ diuinæ, quæ non deſtruit veritatem ſenſus literalis, fidem adſtruentis. Nam quòd de Fide ſit Cælum & Terram eſſe creata in principio, non obſtat cuiuis ſenſui literali, & veritati Fidei, quin poſſint per potentiam diuinam in nihilum redigi, & negari quòd ſint, non autem quòd fuerint: Ita ſi per eandem potentiam deſinat Terra durare vel quieſcere, non facit quin ſenſus literales veri fuerint & determinati, & quin verè affirmari poſsit, duraſſe & quieuiſſe, atque adeo prædictos ſenſus adimpletos fuiſſe, etſi poſt deſitionem dici nequeant adimpleri, ſicut nec Terram durare, & quieſcere. Atque his poſitis, videndum ſupereſt duntaxat, qui ex prædictis ſenſibus principaliter ſit intentus, vt inſtituto præſenti reſpondeamus.

Dico verò, per ſe loquendo omnes prædictos ſenſus æqualiter eſſe intentos; per accidens tamen hunc principaliùs intelligi, qui eſt Terram non moueri vllo modo. Primum patet. Quia cùm omnis ſenſus literalis debeat eſſe verus, literæ conformis, traditioni non repugnans, nulli alteri loco Scripturæ contradicens, immò per Scripturam explicatus; huic autem propoſitioni *Terra in æternum ſtat*, quatenus præ-

prædictos ſenſus exhibet, omnes dictæ conditiones, vt vidimus conueniant; neceſſariò conſequitur omnes eſſe æquè principaliter intentos, tanquam vnam integram veritatem conflantes, Adde eoſdem congruere contextui præcedentium & conſequentium, non recedere à proprietate ſermonis per quem efferuntur, denique reipſa adimpleri; quæ omnia æqualem arguunt dicentis intentionem.

Secundum patet multis argumentis. *Primò*, Quia pluribus S.Scripturæ locis explicatur Terram nullo modo moueri, quàm durare. *Secundò*, Quia quoad noſtrum intelligendi modum, ſignificatio verbi *Standi*, magis accedit ad eam proprietatem vocis, quæ Terram omni motu priuat, quàm quæ ſecundùm durationem permanere innuit. *Tertiò*, Quia nullus vnquam Sanctorum Patrum dixit Terram moueri, aut dubitauit Terram quieſcere, licet ex occaſione non paucis de ea diſputarint, variaq; dubia, etſi faterentur non ad rem ſuam pertinere, propoſuerint & ſubinde ſoluerint, nihil interea de Terræ motu differentes; quibus tamen non erant ignotæ Pythagoræ, & ſectatorum opiniones, non ſecus quàm Platonis, Ariſtotelis, aliorumq; quos in Philoſophia ſectati ſunt, ſententiæ; quod ſignum eſt eos huiuſcemodi ſomnia planè inſuper habuiſſe, & contempſiſſe. *Quartò*, Quia contrarium non aſſeritur à Sanctis Patribus, ſed ab ijs, qui in Theologicis nullius ſunt authoritatis, & tantùm ſuas oſtentãdi cauſa ſequuntur inuentiones, & imaginationes. Quæ omnia per accidens, & reſpectu noſtri, vel ſi mauis à poſteriori oſtendunt, hunc ſenſum in Scriptura magis videri intentum, qui eſt, vt dicebamus, Terram nullo modo moueri, ſed in ſuo naturæ loco motus omnis expertem quieſcere, atque adeo Stationem fixam perpetuò tenere. Quibus addo vnum, quod videri poſſit per ſe & abſolutè probare, nimirum ex contrario huius ſenſus, quatenus Terra moueri dicitur à ſuis, plura ſequi, reuelatas partim explicitè, partim implicitè in Scriptura veritates deſtruentia. Quod iam oſtendemus.

PRIMO igitur, de Fide eſt Deum feciſſe *Firmamentum* in medio aquarum, ad diuidendas *aquas ab aquis*: hoc Firmamentum vocatum fuiſſe *Cælum*; denique in eodem firmamento poſita eſſe duo Luminaria magna, *Luminare maius* (id eſt Solem) *vt præeſſet diei*; Et *Luminare minus* (id eſt Lunam) *vt præeſſet nocti*; Vt lucerent in firmamento Cæli, & lucendo ſuper Terram illuminarent eam. *Gen.* 1. Sed ſi Terra motui deſtinata collocetur in Orbe magno ſupra Solem, Mercurium, & Venerem, (hic enim eſt vnus ſenſus quo ſui authores moueri Terram volunt) ſequitur primò Terram eſſe in Firmamento ſydereo, Solem verò in infimo loco pro Centro conſtitutum, eſſe

extra

extra Cælum & firmamentum ſydereum, quemadmodum nunc Terra propriè loquendo, eſt extra Cælum, & Firmamentum, & Centri locum in imo habens. Sequitur ſecundò, Firmamentum non diuiſiſſe *Aquas ab Aquis*, ſed tàm aquam elementarum, quàm partes eas aquæ craſsiores, ac denique totum Mare Terram cingens, manſiſſe in ipſo Firmamento, penè medio loco incluſas; nam aquæ iſtæ omnes, aut voluuntur cum Terra in Orbe magno; & habetur intentum; aut manſerunt in infimo loco, Solem ambientes & refrigerantes, & tum confirmatur prima ſequela, Solem videlicet cum Aquis ambientibus eſſe extra Firmamentum, & extra Cælum ſydereum, quod eſt manifeſtè contra Scripturam.

SECVNDO, De Fide eſt Cælum eſſe ſurſum, & Terram deorſum. Deuteron. 4. *Scito ergo hodie, quòd Dominus ipſe ſit in Cælo ſurſum, & in Terra deorſum, & non ſit alius.* Prou. 25. *Cælum ſurſum, & in Terra deorſum, & Cor Regis inſcrutabile.* Pſal. 102. *Secundùm altitudinem Cæli à Terra corroborauit miſericordiam ſuam.* Qui modus loquendi eam inter Cælum, & Terram notat diſtantiam, vt Cælum ſit in ſummo loco, Terra in imo: Quod ipſum ſignificatur Ierem. 31. *Si menſurari poterunt Cæli ſurſum, & inueſtigari fundamenta Terræ deorſum.* Et Iſaiæ 55. *Sicut exaltantur Cæli à Terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à vijs veſtris.* Mitto quàm plurima alia. *Mar.* 13. *Ioan.* 11. *Ad Coloſſ.* 3. *Ad Galat.* 4. *Deuter.* 28. *&* 30. *Baruch.* 3. &c. Plurimorum denique Patrum in re indubitata ſententias. Sed ſi Terra in Orbe magno voluitur ſupra Venerem, Mercurium & Solem, nunquã rectè dicetur eſſe deorſum reſpectu Cæli totius, vt argumentari liceat ab altitudine Cæli, ad humilitatẽ Terræ, quemadmodum fit in locis allegatis, longè enim inferiores erunt Venus, & Mercurius, & adhuc longiùs diſtabit corpus Solis, à quo proinde ſumi debebat comparatio illa relatiua per particulas *ſurſum, & deorſum* Nec dici poteſt, fieri comparationem habita ratione inter Cælum ſupremum & Terram, tametſi non infimo loco ſitam. Eodem enim modo poterat ſumi comparatio à Cælo ſtellato reſpectu Empyrei, aut reſpectu cuiuſuis Planetæ longè ſub Cælo ſtellato poſiti, quod tamen nullibi eſt factum in Scriptura, ſed ſemper adhibita ſimplex relatio inter Cælum & Terram, tanquam ſummè inter ſe diſtantia iuxta ſupremum & infimum.

Ex his obiter infero, quàm contrarium ſit S. Scripturæ Syſtema illud Vniuerſi, quo Terram in Cælo ſupra Venerem, Solem verò in imo, Centri inſtar, ſui authores locant. Ex eo enim neceſſariò conſequitur, non verificari ſecundùm propriam locutionem, quæ de

Chri-

Chriſto in Symbolo dicuntur, primùm ſcilicet deſcendiſſe ad inferos, deinde aſcendiſſe ad Cælos; qui enim alioqui hìc poteſt eſſe figuratus ſenſus, & verbis expreſsis, & ſecundùm communem & Catholicum vſum acceptis contrarius? Quòd enim defenſores eius Syſtematis, hæc quoque ſicut pleraq; alia, ſecundùm apparentiam dicta velint, tàm propè eſt ad veritatem, quàm hoc dicendi modo facilè totum Symbolum euertunt, vt iam aditum aperiant reuocandæ Hæreſi Valentinianæ, plura ibi narrari, quæ ſecundùm apparentiam & phantaſticè, non verè ſint facta. An verò in Articulis Fidei condendis, & ad ſalutem cognitu perneceſſarijs, eiuſmodi figuris eſt vtendum, vt neſciamus quæ credamus, & longè aliter, immò reipſa contrario modo ſe habeant illa, ac credendo nobis perſuadeamus, eòq; pacto ab æterna Veritate ludificemur? Ceterùm ſi hæc, & huiuſmodi ſecundùm apparentiam ad ſenſum ſunt dicta, licebit ratione recta vtentibus, veritatem, vt ſe habet apprehendere, & ſecundùm eam veras propoſitiones formare, immò interpretis munere S. Scripturam ad verum, & proprium ſenſum reducere.

Itaq; cùm dicitur *Ioan.* 11. *Ieſus eleuatis ſurſum oculis*: dicam. *Ieſus depreſſis, vel demiſſis deorſum oculis*. Et *Act.* 2. *Dabo prodigia in Cælo deorſum, & ſigna in Terra ſurſum*. Et *Ad Coloſſ.* 3. *Quæ deorſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Patris, quæ deorſum ſunt ſapite, non quæ ſuper Terram*, id eſt, *quæ ſunt ſurſum*. Denique illud Chriſti ad Scribas, & Phariſęos *Ioan.* 8. *Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum, Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo:* licebit ita reducere ad veritatem. *Vos ae ſurſum eſtis, ego de infernis ſum; Vos de mundo hoc eſtis*, (intellige de Mundo iuxta Syſtema Ptolemæi) *Ego non ſum de hoc mundo, ſed de Mundo iuxta Syſtema Pyhtagoricum*. Apage has nugas & hæreſes. Et tamen hæc ſequuntur ex contraria ſententia, cuius defenſores, cùm Pythagoram à Moyſe, ſuam doctrinam accepiſſe tradant, mirum cur Scribas & Phariſæos toties Moyſen Chriſto obiectantes, non etiam Patronos ſibi adſciſcant, niſi iam velint ex prædicto loco, Moyſi, Pythagoræ, Chriſto, & Scribis & Phariſæis, de ſuo Syſtemate benè conueniſſe. Sed mittamus hæc abſurda.

TERTIO, De Fide eſt Deum appendiſſe Terram ſuper nihilum *Iob* 26. Quod quemadmodum factum, ſit Patres, Ambroſius, Iſidorus, Damaſcenus, & alij, ſciri ab homine poſſe negant: Idq; de Fide eſt, *Iob* 38. *Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti?* Et *Ierem.* 31. *Si menſurari poſſunt Cæli ſurſum, & inueſtigari Terræ fundamenta deorſum*. At ſi Terra collocata ſit in magno Orbe, atque adeò in

Cælo

Cælo ſydereo; non erit fundata ſuper nihilum, ſicut neque cetera ſydera & aſtra in Cælo poſita, fundata ſunt ſuper nihilum, vt conſideràti patet; & quicquid tandem in Cęlo eſt corporei, nequaquam dici poteſt appenſum eſſe ſuper nihilũ, nec difficile erit inueſtigare fundamenta, & menſuras omnium, quæ viſui patent, ſiue de cetero Cælũ dicatur eſſe corpus ſolidũ, & impenetrabile, ſiue liquidum, (quod mihi certius) aëreũ, aut aqueũ, ex varijs opinionibus, quę circa hoc argumẽtũ agitãtur.

QVARTO, De Fide eſt, Chriſto patiente Solem miraculoſo deliquio laboraſſe; & per tres horas, hoc eſt à Sexta vſque ad Nonam (*Matth.* 27.) tenebras ſuper vniuerſam Terram duraſſe. At poſito motu Terræ, qualem fingunt authores ſui, nequaquam id poteſt ea ratione verificari. Cùm enim interea vertigine diurna Terra mota ſit ad Orientem, per gradus 45. neceſſariò ſubduxit Hieroſolymorum Vrbem, ne dicam totam Iudæam illis tenebris; hærente interea Luna ſub Sole quieſcente, & tantùm partibus occidentalibus ſucceſſiuè lucem adimente; vt proindè non ſimul fuerint tenebræ illæ ſuper Terram, ſed locorum ſucceſſu per tres horas, quod eſt ludificare S. Scripturæ ſenſum, & omnium Interpretum ſententiam. Quòd ſi dicatur Lunam continuò retroceſſiſſe cum Terra, per eoſdem 45. gradus ad Orientem, vnde contra naturam mota fuerat; illicò ſequitur aut nouo quodam miraculo, cuius nec Scriptura nec Authores meminere, Solis radios fuiſſe impeditos ne lucem ederent; aut Occidentalioribus non paruiſſe Eclipſin, Lunæ interpoſitu duratam per tres horas, citiùsq; detectum fuiſſe Solem, Luna Orientem verſus ſubtracta, quodque hinc neceſſariò ſe profert, non fuiſſe Tenebras ſuper vniuerſum Terrarum Orbem, iuxta communem omnium contra Origenem, & quoſdam alios pauciſſimos, demonſtratamq; ex oraculo Sibyllæ, Phlegontis dictis, Græcorum commentarijs, Ethnicorum longè diſsitorum teſtimonijs, denique Mathematicorum placitis, ſententiam: præſertim quia niſi multiplicentur miracula, Luna redux ad Orientem, in motu ſuo ſituque obliquo, non niſi per obliquos, diſsimiles item ac varios angulos in quibus ſe baſes viſionis interſecant, Solem potuerit occultare, atque adeò minorem eius abſcindere partem, quàm neceſſe foret ad Tenebras Orbi Terrarum affundendas, vtpote cùm Luna Soli ſuppoſita, & totam Eclipſans Solarem diſcum, vltra 350. milliaria Italica, vmbræ ſuæ diametrum non extendat, in præſenti euentu longè minori ſpatio Tenebras concluſerit, neceſsè eſt. Quæ omnia ex doctrina planorum triangulorum hoc loco ſupponimus; addito etiam hoc alio, quòd cùm ex principijs Optices Sol, de Terræ ſuperficie plus hemiſpærio illuſtret, poſitis motu Terræ, Lunæ re-

greſſu, & Solis Statione, Tenebrarum durationem per tres horas ſine nouo, vt dicebam miraculo, poſsibilem haud fuiſſe, Id, quia conſideranti patet, alia demonſtratione hoc loco non eget, ne tractatio prorsùs Mathematica euadat. Ceterùm hoc argumentum valere maximè putamus, ſi Lunæ interpoſitione tenebras eas extitiſſe veroſimilius credamus, ne fruſtra Lunam loco ſuo motam dicamus; ſecùs verò ſi quis cum nonnullis putet, ſubtractione concurſus diuini cum Sole factum, ne luce Mundum radiaret.

QVINTO, De Fide eſt Solem moueri, & quidem circulariter, quod Capite Nono oſtendemus. Cùm verò moueatur circa Terram, quemadmodùm præter experientias Phyſicas & Mathematicas, ex locis S.Scripturæ adducendis conſtabit, neceſſariò conſequitur eam in medio conſtitutam, omnis eſſe motus expertem, alioqui ſi moueatur & ipſa, nec ad aliquid immotum perueniatur, quis eiuſmodi motus ſit finis in præſenti ordine Vniuerſi, cum motu Solis conſtituto aſſignari minimè poteſt. Quare Terram ſtare non ſolùm per ſe eſt de Fide, ſed etiam quatenùs immediatè deducitur ex alia propoſitione de Fide, quæ eſt, Solem moueri circulariter, in qua propriè virtualiter continetur. Id fortaſſe eò ſit certiùs, ſi etiam de Fide ſit Terram eſſe Centrum Vniuerſi, quod an dici queat, infra in loco videbimus.

Atque hæc dicta ſint de ſenſu literali principalius intento circa Terræ Stationem, iuxta noſtrum intelligendi modum ſupra explicatum, quatenus etiam, quæ Terræ motui opponuntur faciliùs deducuntur ex Scripturis, & plerunque obuia ſunt, & penè ad ſenſum clara. Ex quibus vlterius deducitur, ſi Solem moueri de Fide eſt, ruere Syſtema affirmantium, eum in medio quieſcere, omni etiam motu conuerſionis in ſeipſum priuatum, quem ſui authores Terræ attribuunt.

Solem moueri omnium Sanctorum Patrum & Interpretum, eſt vnanimis ſententia.

CAPVT OCTAVVM.

PRO motu Solis abſolutè, referri poſſunt omnes illi Patres, & Interpretes antiqui, vt nihil de recentioribus dicamus, qui loca Scripturæ 4.*Reg.*20. *Iſai.*38. *Eccleſiaſt.*48. 2. *Paralip.*32. de miraculo in Horologio Achaz facto loquẽtia, de vero Solis curſu, & vera retroceſsione intelligunt. Origen. *Hom.*3. *in Matth.* Gregorius Nazianzenus *Orat.*19. Auguſtinus *Lib.*1. *de Ciuit.cap.*8. Author mirab. Script. *Lib.*1.*c.*28. Hieron. 2.*Paralip.*32. Et *in c.*7. & 38.*Iſai.* Cyril. Alex. *In cap.*39. Theodor. *In Pſal.*20. Procopius *In cap.*38.*Iſai.* Glycas *part.* 2. *Annal. pag.* 271. *ex Hippolyto, & Euſtathio Antiocheno.* Angelomus *In Stromat. lib.* 4. *Reg.* Dionyſius Carthuſianus *In Iſai. cap.* 39. *art.* 67. Beda, Lyranus, Hugo, Abulenſis *In cap.* 21. *lib.*4. *Reg.* Thoringus, author replic. *Ad Gloſ. ord.* qui & bene refellit Burgenſem. Longum eſſet ſingulorum verba referre.

Huc pertinent & illi, qui extra hunc locum Scripturæ, locuti ſunt de motu Solis. Dionyſius Areopagita *In Epiſt. ad Polycarpum.* Iuſtinus *In confut. Ariſt. lib.* 2. *de Cælo*: & idem ſupponit *In reſp. ad Quæſt.*59. Chryſoſtomus *In Pſal.*134. vbi, *Sol* (inquit) *per totum diem Cælum percurrit, fulgur autem minimo momento temporis vniuerſum Orbem Terræ.* Rabi Hacadoſ. *In cap.*1.*Geneſ.* Iſidorus Peluſiotes *Epiſt.*100. *ad Paulum* Solis curſum ſupponit, licet eius rei ſicut & aliarum Aſtronomicarum inquiſitionem, parum ad virtutem, allaturam dicat, Baſilius *In Hexam. Hom.*2.6.9. Et *in cap.*13.*Iſai.* Ambroſius *Lib.*4.*Hexam. cap.*5. & 6. Auguſtinus *In Hom. de S. Vincentio Mart.* Et *Lib.*1. *de Gen. ad lit. cap.*19. Procopius *In cap.*1.*Gen.* ſupponit Solem moueri, nec in primo Cælo conſtitutum. Et ſuper illa verba, *Vocauit Deus lucem diem, Lux* (inquit) *eum curſum abſoluebat, quem nunc Sol peragit.* Bonauentura *In Eccleſ. cap.* 1. docet Solem moueri peculiari modo, Terram ſtare. Dionyſius Carthuſianus *Opuſc. de Conſid. Theol. art.*57. Et *In cap.*1. *Eccleſ.* Et *In Iſai. cap.*39. *art.*12. Theodoretus *Serm.*3. *de Angelis.* Solem ab ortu ſe attollere diemq; efficere, Et *Serm.* 5. *de Mat. & Mund.* contra infideles Græcos idipſum ſupponit, cùm dicit. *Neque Sol firmiſſi-*

mum illud Cælum, per quod aſſiduè currit eliquare poteſt, neque diſ-ſoluere, ſed neque ipſum firmamentum; tametſi humida ſit natura, flagrantem Solem extinguit. Sed notandum, à Dionyſio Areopagita *Lib.* 1. *de Diuin. Nom. cap.* 4. Et *In Epiſt. ad Polycarp.* Solis curſum ſupponi ex principijs naturæ eatenus, vt non niſi vi ſuperiore ſiſtatur: quod ipſum ex eodem aſſerit Dionyſius Carthuſianus *Opuſc. de Conſid. Theol. art.* 57. Et longè ante hunc Iſidorus Hiſpalen. *Lib.* 3. *Orig. cap* 49. *Solem perſeipſum moueri*, ait, *non cum mundo verti, nam ſi fixus Cælo maneret, omnes dies & noctes æquales exiſterent, ſed cùm alio loco cras occaſurum, alio occidere heſterno videmus, apparet eum per ſeipſum moueri, non cum mundo verti*. Hæc Iſidorus.

Quòd verò Chryſoſtomus *In Pſal.* 90. dicat. *In Centro ſtans Sol medius dies dicitur*; loquitur de Sole in culmine, ſeù in vertice exiſtente, in quo, quia præter ſummam altitudinem minus eſt ad ſenſum perceptibilis motus, ſtare quodammodò videtur. Vocatur autem hæc altitudo, Aſtronomis, inter alia *Centrum* reſpectu Hemiſphærij, in quo cùm Sol exiſtit, medius dies efficitur. Sic dicitur *Ioſue* 10. Sol ſtetiſſe *in medio Cæli*, id eſt ſub Meridiem, medioq; cacumine Cæli, vt explicat Sedulius. Et Author mirabilium S. S. apud S. Auguſtinum, ait, *Ioſue Principem Sole poſito in medio die præcepiſſe ne ſe moueret*. An de hoc medio Cæli intelligatur Tertull. *ad Scapulam*, cùm dicit Solem fuiſſe poſitū in ſuo Hypſomate, ideò nō potuiſſe portentoſam illam defectionem luminis, ex ordinario deliquio pati; fusè dabimus in Demonſtrationibus Chronologicis; Itaque Chryſoſtomus non intelligit propriè ſtare Solem, cum vera priuatione motus, alioqui contradiceret ijs, quæ paulò ante ex eodem *In Pſal.* 134. attulimus. Eodem modo dixit Auguſtinus *In Hom. de S. Vincentio Mart.* videri abſolutè ſtantem, & tamen moueri velociſsimè. *Intueris* (inquit) *Solem, & tibi videtur quaſi non moueatur, & tamen mouetur. Fortè dices mouetur, ſed tardiùs. Vis ratione colligere, quod non ſentis aſpectu?* pergit deindè explicare celeritatem eius motus. Ita etiam Nazianz. *Orat.* 34. dixit, ratione ſtabilem, motus expertem, & præterea infatigabilem. *Quid* (inquit) *eū perpetuò motu agitat, aut circūducit, cū interim ratione ſtabilis ſit & motus expers, infatigabilis verè, vitæ dator, animantium pater*, &c. Qui modus loquendi ſupponit motum, ſed non variatem. Quamuis etiā intelligi queat de motu regulari, qui ſemper vniformiter ſe habet, etſi nobis irregularis interdū appareat; & ideircò dici poſsit motus expers, quòd ſit cōſtās, & inuariabilis in perpetuo motu, in illa enim mouēdi inæqualitate (ſcilicet apparēti) *mirabilē ſeruat æqualitatē* (inquit) Naziāz. *in quo, & diuinitatē refert, quæ*

cum

cũ ſẽper in actione ſit, in æternæ beatitudinis trãquilla quiete cõſiſtit.

Atque hæc de Patribus, qui de motu Solis abſolutè loquuntur. De motu circulari agentes, quàm plurimi etiam afferri poſſunt, cum hac tamen differentia, quòd aliqui inter illos locum illum *Eccleſ.* 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonẽ,* &c. intelligunt de motu Solis diurno, alij de annua conuerſione, alij denique loquuntur de circuitu abſolutè. De motu diurno intelligunt. Greg. Niſſ. Greg. Neocęſar. Auguſt. Chaldæus, Chryſoſt. *Hom.* 12. *ad Popul.* vbi ſentit Cęlo immoto Solem cum reliquis ſyderibus quotidiè circumuolui. S. Thomas *ſuper Iob.* 37. De Annuo motu exponunt Hieronym. Olympiod. Theophilus Alexand. *Epiſt.* 3. *Paſchali*. Gloſſa. Hugo de S. Caro. Hugo de S. Victore, Albinus, Bonauent. & alij poſteriores, ſecuti interpretem, qui vocem Hebræam propriè ſignificantem, *Circuire,* expreſsit per Verbum *Flectitur*, indicans videlicet obliquum illum motum, inter Tropicos, non obſtante motu diurno. Denique de circumlatione abſolutè, videntur loqui, Dionyſius Areopagita. *In Epiſt. ad Polycarp.* Iunilius *In Com. in Gen.* Procopius *In cap.* 1. *Geneſ.* Rabi Hacados *ibidem*, & quidam alij. Sed inter alios Claudius Mamertus *In lib.* 2. *de Statu Animæ, c.* 13. eleganter hos omnes motus exprimit. *Nunquid* inquiens, *hoc Cælum viſibile non hominibus datum eſt, aut Solaris fulgor & calor, vel Lunaris globi per incrementa & decrementa variatio, vel aſtrorum vagus ratusq; circuitus, vel per magnos Orbes ingreſſus Syderum, & ſtatuta progreſsio, ſiue cum dierũ noctiũq; vices variant, ſiue quia caloris & frigoris alterno fotu mundum temperant, ſeù quòd dimenſis limitibus articulos temporum ſignant, eodemq; termino linearum tramitem, in idipſum redeuntium, per eaſdem circulorum vias reuehunt, vel quo diſtinctis numeris & horis, & muſicis interuallis Aethera pingunt*. Hæc ille.

Quare ex omnium Patrum ſententia certum eſt Solem moueri, quocunque tandem motu, proindè non poſſe eſſe Centrum quieſcens Vniuerſi, etſi alioqui Planetas aliquos circa ipsũ in ſuis peculiaribus circulis moueri ponamus. Quod argumentum, vel ſi nihil haberemus ex S. Scriptura, efficax eſſet ad ſtabiliendam in hac materia veritatem. Mitto hic illos, qui verè quidem ſuppoſuerunt Cælum circulariter moueri, errarunt tamen, quòd dicerent per reditum corporum Cæleſtium ad eadem puncta, in triginta ſex millibus annorum, eoſdem redituros rerum effectus, qui modò exiſtunt: quem errorẽ meritò condemnarunt Pariſienſes. Vide Anathem. Stephan. Pariſ. Epiſc. contra varios in Fide errores. *Cap.* 5. *num.* 2.

Solem

Solem moueri. Et Circulari motu ferri, eſt de Fide.

CAPVT NONVM.

SOLEM abſolutè moueri, habetur *Ioſue* 10. *Sol contra Gabaon ne mouearis*. Et. *Steterunt Sol & Luna in medio Cæli, & non fuit antea nec poſtea tam longa dies, obediente Deo voci hominis.* Quæ dicta ſupponunt Solem moueri, idq; à prima inſtitutione creationis, qua datum eſt, vt tanquam Luminare maius præeſſet diei: iccircò dicitur non fuiſſe antea nec poſtea tam longum diem. Supponunt deindè, nonniſi miraculosè ſuum ſtitiſſe curſum, obediente ſcilicet Deo voci hominis. *Eccleſ.* 43. *Sol in aſpectu annuntians in exitu, vas admirabile opus excelſi, In meridiano exurit Terram, & in conſpectu ardoris eius, quis poterit ſuſtinere?* Quo loco & exortus Solis, & progreſſus ad medium Cæli manifeſtè ſignificatur. Et paulò infra. *Magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter:* Vbi velocitas curſus, qua in creatione præditus eſt, exprimitur. *Iſaiæ* 38. Et *reuerſus eſt Sol decem lineis:* quod ipſum narratur 4.*Reg.*20. *Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas quibus iam deſcenderat per decem gradus.*

Scio quoſdam velle, miraculum accidiſſe tantùm in vmbra, & non in corpore Solis, quòd 4. *Reg.*20. non fiat mentio Solis, ſicut neque in textu Hebræo: Immò neque *Iſai.*38. vbi eadem per epitomen repetuntur. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in Horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis.* Sed iſti conuincuntur, ex lib. Eccleſiaſt. c. 48. *In diebus ipſius* (id eſt Exechiæ) *retro rediit Sol & addidit Regi vitam*. Dindè ex 2. Paralip. cap. 34. *Legati miſsi ſunt Babylone, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper Terram.* Id ſanè non aduertiſſent Babylonij, ſi tantùm in vmbra Horologij Achaz miraculum contigiſſet. Denique *Iſai.*38. immediatè poſt allata verba, vt occurreret opinor huic dubitationi, ſubdidit illa quæ initio attulimus. *Et reuerſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat.* Quod autem 4.*Reg.*20. non fiat mentio Solis, nihil refert; ſatis enim fuit per effectum cauſam inſinuare, præſertim cùm Ezechias hoc ſignum petiuiſſet prolongatæ ſibi vitæ, non vt

vmbra

vmbra creſceret decem lineis, ſed vt reuerteretur retrorſum decem gradibus, vt proinde hic effectus proueniret, non tamen ſine applicatione cauſæ, quæ fuit retroceſsio Solis. Vnde cum *Iſai.*38. eadem repetantur, quò ſignificetur Iſaiam, voto & petitioni Ezechiæ, ad literam vt ſic dicam reſpondere, dicitur; *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum*, per quas deſcenderat in Horologio Achaz, &c. immediatè tamen ſubditur, *Et reuerſus eſt Sol decem lineis per gradus quos deſcenderat*, vt inſinuetur applicatio cauſæ in qua factum eſt miraculum.

Hunc eundem locum, de Solis curſu & retroceſsione intelligi plerumq; à S.Patribus, vt ceteros taceam, longè certiùs eſt, quàm quòd probatione indigeat. Eam ob cauſam Caſpar Sanctius, ab altera ſententia, quam non parum probabilem iudicarat, deterritus fuit, ſecuturus alioqui, niſi omnium penè Patrum, & Interpretum authoritas, quemadmodùm ingenuè fatetur, ſibi aduerſa fuiſſet.

Solem porrò circulari motu ferri, habetur ex *Eccleſiaſte Cap.* 1. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos ſuos reuertitur.* Quo loco quater inſinuat Solem in Orbem ferri, ſiue demum de motu diurno, ſiue de annuo, iuxta varias interpretationes, & partium Scripturæ applicationes intelligatur. Epitaſis verò illa, quæ habetur in Hebræa, Græca, & antiqua Hieronymi lectione. *Et oritur Sol, & occidit Sol*, continuationem quandam motus abſque interceptione ſignificat, vt totus in eundo, & redeundo eſſe indicetur, eòq; magis, ſi cum Hebræo per futurum legatur. *Et orietur Sol, & occidet Sol*, tùm ad indefeſſam motus continuationem ſignificandam, tùm etiam ad exprimendum, hunc motum Soli, & non Terræ conuenire; hanc enim emphaſim habere videtur vocabulum Solis, eo modo repetitum. Quod autem vltimo loco Spiritus appellatione Sol exprimatur, fit vel propter igneam Solis naturam; Vel propter Intelligentiam aſsiſtentem; Vel propter motus velocitatem, quem ſenſum literalem eſſe dicit Olympiodorus; Vel denique etiam ab effectu, & vita velut rebus inſpirata, quòd nimirum annuos curſus explendo, vegetet, & velut ſpirare, & vigere faciat inferiora, non autem quòd animam habeat informantem aut viuificantem, quemadmodùm ſenſere Gentiles apud Olympiodorum, & Origenes de corporibus cæleſtibus *Lib.* 2. *Periarch. cap.* 7. De ignea Solis natura. Vide Euſtathium Antiochenum, quem nuper Leo Allatius non minus eleganter primus è Græco Latinum reddidit, quàm doctis & eruditis Notis illuſtrauit. Eam

ob

ob cauſam tribuerunt antiqui pro manſione Soli ſignum Leonis, fortitudinem eius ex agendi virtute ſignificantes, quæ dubio procul ex calida qualitate, & ignea quemadmodùm diximus natura proficiſcitur, quam Euſtathius ex lumine, & igne coaluiſſe inſinuat, quaſi lumen illud quod ante Solis formationem Cælo inſplenduit, in Solis deindè corpus collectum igneſcere, & lucere perrexerit. Idem ferè habet ex Zenone, Alex. Lycopolyta Philoſophus eximius, mox etiam Latinæ luci à Leone Allatio donandus, *In lib. aduerſus Manichæos*. A qua ſententia nec fortè abhorreant, qui Stellas ex elementis, nempè ex igne, aëre, & aqua cõſtare velint. Vide Iſaac Syrum *In lib. de Cauſ. Cauſar.* quem, ex Chaldæo Latinè loquentem nondum, quod ſciam, vidi. Is verò *Orat.5.cap.7.* vbi hanc de Stellis ſententiam aſſerit, tùm verò ab eiuſmodi compoſitione Terræ elementum reijcit, quaſi Deus (inquit) *Stellas vtpote ſtabilia, & tenuia corpora Terræ exemerit.* Verùm hæc omnia quo loco ſint habẽda, non eſt huius loci examinare. Placeat interim & hos Patres eius fuiſſe ſententiæ, vt nihil cõmune Terræ cum ſyderibus aut Planetis eſſe voluerint, quam natura in medio Vniuerſi, atque adeò in infimo loco conſtitutam eſſe voluit.

Secundò idem probari poteſt, *Ex 3. Eſdræ cap. 4. Magna eſt Terra, & excelſum eſt Cælum, & volox curſus Solis, conuertit in gyro Cælum in locum ſuum vnica die.* Qui Liber vnà cum quarto eiuſdem Eſdræ, etſi extra ſeriem librorum Canonicorum, quos Concilium Tridentinum ſuſcipiendos decreuit, ſeponatur: omninò tamen magnam authoritatem habet vterque, ſupra Scriptores non Canonicos, nec ſemel à Sanctis Patribus citantur: Immò in quibuſdam Biblijs Latinis, tàm manuſcriptis, quàm impreſsis immediatè poſt reliquos Eſdræ libros reperiuntur. Quamquam hodiè in plerisq; ſepoſiti, ad finem librorum Canonicorum eodem volumine continentur. In re tamen noſtra, eò maiorem habere debet hic locus authoritatem, quòd vt Olympiodorus inſinuat, hæc ſententia deſumpta ſit *ex Cap. 1.* Eccleſiaſtis paulò ante allegato, ſecundùm quam aliorum etiam argumentis Solem circulari motu ferri affirmat.

Quid verò aliqui ad hunc locum reſpondeant, infra *Cap. 13.* vnà cum ceteris argumentis afferemus, & ſoluemus.

* *
*

An

An ſit de Fide Terram eſſe Centrum Vniuerſi.

CAPVT DECIMVM.

SI de Fide eſt Cælum vniuerſa continens, eſſe figuræ Circularis & Sphęricę, fortaſſe facilè quis inferat, de Fide etiam eſſe Terrã eſſe Centrum Vniuerſi, ex ijs præſertim Scripturæ locis, quibus *Cap.*7. oſtendimus Fide teneri, Terram eſſe deorſum in ſumma à Cæli altitudine diſtantia. Tum enim oportebit Cæleſtis circuli Centrum aliquod eſſe, cùm Centrum ſit de definitione Circuli, hoc verò Centrum poſita illa diſtantia, Terram eſſe, atque adeò in medio conſtitutam, quò æqualiter diſtet ab omnibus Cæli partibus, reſpectu quarum ipſa dicitur eſſe deorſum, Cælum verò ſurſum.

Etſi verò Mathematicis rationibus, vt *Cap.*2. diximus, ſat certum habeatur Cælum eſſe Sphæricæ figuræ; non defuere tamen inter Patres, qui ex varijs Scripturæ locis aliter ſunt opinati, plures verò hanc diſputationem tanquam pro tempore impertinentem, non ſunt ingreſsi; alij verò non Cælum vniuerſum, ſed Planetas duntaxat, puta Solem & Lunam, circa Terram moueri videntur adſtruxiſſe; denique alij quibus fauent Chryſoſt. *Hom.*12. *ad Popul.* & Auguſt. *Lib.*2. *de Gen. ad lit. cap.* 10. Cælo etiam ſtante & non moto, Solem & ſydera conuerſiones ſuas aut reipſa peragere, aut peragere poſſe ſaluis omnibus phænomenis exiſtimarunt. Ob quam cauſam non videtur adeò certum Terram eſſe Centrum Vniuerſi, vt de Fide aſſeri queat.

Quin immò licet de Fide ſit Solem circulo moueri, quia tamen iuxta Syſtema vulgatum, ſuum habet Orbem eccentricum: reſpectu huius non poteſt tota Terra dici propriè Centrum, ita vt ſit fixum; immò verò ne ſecundùm partem quidem, quando eccentricitas illa ſi Albategnio credendum, 38. ſemidiametros Terræ, vel iuxta Ptolemæum 48. cum quadrante proximè contineat.

His non obſtantibus exiſtimo probabilius, de Fide eſſe Cælum eſſe figuræ Sphæricæ. Primò id firmiter elicitur ex motu Circulari Solis, quem Fide haberi, iam oſtendimus; omninò enim par eſt, & motum Solis ad figuram Cæli perfecta quadam ſymmetria concinere. Nec obſtat huic rationi, quòd dicebatur Orbem Solis eſſe eccentricum, quando Terra in ratione Centri, non conſideratur reſpectu Orbis

partialis, ſed reſpectu totalis, qui toti mundo concentricus eſt, ita vt verus motus Solis ſemper referatur ad Centrum Vniuerſi, ex quo etiam nobis conſideratur, etſi Medius & apparens motus, principaliter ſpectet ad punctum eccentrici, cui inſidet angulus eiuſdem motus, vt angulus Veri motus ſuper Centro mundi.

Elicitur ſecundò ex *Eccleſiaſt. cap.* 24. *Gyrum Cæli circuiui ſola, & profundum abyſſi penetraui.* Quæ verba nihil obſtat, quo minus reſpectu Cæli ſimpliciter & propriè, & abſque figurata locutione accipiantur. Ex *cap.* 43. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum, valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo, Gyrauit Cælum in circuitu gloriæ ſuæ, manus Excelſi aperuerunt illum.* Quæ verba eodem modo propriè ſumenda ſunt, de arcu imitante Cælum in gyro, & circuitu ſuo, vt proinde rectè inferri queat ex illis, Cælum eſſe Sphæricum, & rotundum.

Accedit S Hieronymus *Ad Epheſ* 3. ſuper illud, *Quæ ſit latitudo, & longitudo,* &c. Vbi ait, ex Eccleſiaſte à plerisq; colligi Cælum eſſe rotundum, & in Sphæræ modum volui. Locum ipſe non indicat, ſed videtur hic eſſe *Cap.* 1. *Oritur Sol & occidit Sol, & ad locum ſuum reuertitur*: Eſt enim motus circularis proprium, ad eundem locum recurrere vnde cæpit; rurſum verò motus circularis ita proprius eſt corporis Sphærici, nihil vt alteri magis. Quemadmodùm autem Hieronymus ex motu circulari Solis, colligit Cælum eſſe rotundum, immò à plerisq; colligi dicit; ita & nos ex eodem motu tanquam harmonia quadam ad totius figuram temperata, deduximus totum Cælum eſſe Sphæricum atque rotundum. Cur autem nonnulli Patres diuerſum videantur ſenſiſſe, diximus ſupra *Cap.* 2. Certè S. Auguſtinus, qui pro contraria opinione agmen ducere poterat, veriori ſententiæ poſtmodùm animum ſuum attemperauit, vt patet ex iis quæ ibidem diximus, & manifeſtè colligitur, ex *Lib.* 1. *de Gen. ad lit. cap.* 10.

Accedunt omnes illi Patres, qui Cælum Vniuerſum moueri putãt. Inter quos Dionyſij Areopagitæ ſumma poſt Canonicos Scriptores eſt authoritas. Hic verò *In Epiſt. ad Polyc.* expreſsè ſupponit Cælum Vniuerſum moueri, cùm eius prodigij, quod Sol iuſſu Ioſue ſteterit in medio Cæli, duplicem ponit modum; Vel vt vnà cum Solis, & Lunæ Orbibus, vniuerſa Cæleſtium globorum machina conſtiterit; Vel vt Luna duntaxat ac Sole ſubſiſtente, reliqui Orbes tàm ſuperiores, quàm inferiores, ordinarium curſum peregerint. Hic ſecundus modus admirabilior videtur Dionyſio, prior tamen, qui diſpoſitionem Cæleſtium Orbium nihil inter ſe mutat, alijs videtur veriſimilior. Pro noſtro inſtituto, vterque perindè eſt, vterque à Dionyſio

affir-

affirmatus . Accedit alter Dionyſius, qui *de Conſiderat. Theo. art.* 57. motum Cæli circularem dicit eſſe naturalem, loquitur autem de toto Cælo, idque probat ex priori Dionyſio *Lib.* 4. *de Diuin. Nomin.*

Accedunt alij tam Sancti Patres, quàm Scholaſtici, qui Cælum rotundum eſſe, & circulariter moueri, præter Empyreum, de cuius motu non conſtat, aut ſupponunt, aut rationibus adſtruunt. Nec diſcedit S. Auguſt. *Lib.* 2. *de Gen. ad lit. cap.* 10. licet enim admittere videatur, Cælo etiam non moto, ſydera moueri poſſe, & officio ſuo fungi; ad dubium tamen illorum, qui quærebant, quomodò Cælum moueri poſſit cùm dicatur firmamentum; reſpondet, *non cogere nomen firmamenti, vt ſtare Cælum putemus, Firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem; aut propter intranſgreſsibilem terminum ſuperiorum & inferiorum aquarum, vocatum, intelligere licet.* Huc etiam faciunt Philoſophi & Mathematici, qui id varijs demonſtrationibus pro explorato habent.

Accedunt denique omnes illi Patres, qui Terram in medio Vniuerſi conſtitutam eſſe volunt, de quibus diximus ſupra *Cap.* 4. In his Baſil. *Homil.* 1. *in Hexam. Vniuerſi* (inquit) *medium inferum eſſe locum noſtra demonſtrauit oratio*; Loquitur autem expreſsè de Terra, vt legenti patet. Simile quid habet *Hom.* 9. Ambroſius verò *In Pſal.* 118. *in Octon.* 12. idem ex S. Scriptura *videri ſignificatum* inſinuat; quaſi dicat non ſolùm id ſua ſententia, ſed etiam Gentilium Philoſophorum opinione cognitũ haberi, immò quod maius eſt, S. Scripturę conforme eſſe. Accedit Anaſtaſius Synaita, qui *Lib.* 1. *Anagogic. Contempl. in Hexam.* multis ſupponit atque etiam aſſerit, Terram eſſe Centrum Vniuerſi: quamquam doctè refellat dicentes, *Terram eſſe principium Vniuerſitatis, vt quæ ſit Centrum Orbis Cæleſtis, atque adeò Orbe, ſeù Circulo antiquius*: hos dicit Logicè magis quàm naturaliter, conſiderare, quaſi humana arte & naturæ conſequentia non ſupernaliter Deus operatus fuiſſet; nec ſimul Cælum & Terram creaſſet: & alioqui non fuiſſet dicendum, *Fecit Deus Cælum & Terram*, vel vt ipſe loquitur *Sphærã deindè Terram Centrũ, oporteret enim reuera cõtra dicere, Fecit Deus Terram & Cælum; ſeù Centrum & tum Sphæram.* Accedit & Claudius Mamertus *Lib.* 2. *de Statu Animæ cap.* 4. vbi *Imũ certè*, ait, *elementorũ omnium Terra eſt, In rotundo ſcilicet illud imum conſtat eſſe, quod medium eſt, quia in rotundo imum non eſt.* Denique S. Thomas vt vidimus *Cap.* 4. ita loquitur *In Opuſc.* 10. *art.* 16. vt dicere videatur, attento ordine Vniuerſi, ad quem pertinet quòd Terra ſit in medio collocata, abſque fidei periculo tolerari non poſſe, ſi dicatur ab Angelo moueri poſſe totã molem Terræ extra ſuum locum.

His poſitis. Cùm de Fide ſit Solem Circulari motu ferri, & hinc inferatur probabiliùs eſſe etiam de Fide, Totum Cælum moueri eodem motu, atque adeò Sphæricam habere figuram; cùm præterea de Fide ſit Terram eſſe in infimo loco, certòq; colligatur ex Scriptura, Cęlum circa Terram moueri: motus autem circularis requirat aliquod immobile circa quod feratur, & hoc immobile, de fide ſit Terram eſſe, quam ſicut de fide eſt, eſſe in infimo loco, ita iunctis Patrum ſententijs, de fide probabilius eſt, eſſe in medio Vniuerſi conſtitutam, atque adeò puncti fixi vicem habere: His inquam poſitis, probabilius etiam eſt de fide eſſe, quòd Terra ſit Centrum Vniuerſi: quod hoc loco pro inſtituto ſatis erit. Dico probabilius eſſe, nam ſi quis ex modo dictis Syllogiſmum conficiat, quemadmodùm poteſt, cuius vtraq; præmiſſa ſit certa de fide, etiam concluſio dubio procul de fide certa erit. Porrò cùm dico totum Cælum in circulum ferri, non derogo fluiditati, vtrumq; enim ſimul ſtare poteſt, quemadmodùm ſi Terra cum mari fluido circumferretur. Vt enim Mare ſuis terminis, ita Cælum ſuis concluſum eſt, non vt minimè voluatur, ſed ne defluendo tranſgrediatur. In quo deinde ſi plures Orbes iuxta Patrum loquendi modum notantur, non tàm Orbium ſolidorum inter ſe diuiſio, quàm periodica ſtellarum, & planetarum in liquido, ipſiusq; Cæli ſyderei itinera deſignantur.

Quo

Quo pacto ſint de Fide propoſitiones hactenus affirmatæ.

CAPVT VNDECIMVM.

PRIMA PROPOSITIO. *Terra in æternum ſtat*, vt opponitur motui locali ſecundùm totum, eſt de Fide, non directè vel primariò; ſed indirectè & ſecundariò, immediatè tamen. *Primum patet*. Quia Terram in æternum ſtare modo dicto, nec principalier proponitur ad credẽdum tanquam fundamentum Fidei Chriſtianæ, nec de ſe eſt neceſſarium ad beatitudinem obtinendam tanquam articulus fidei. *Secundum patet*. Quia ex oppoſito eius, ſequitur aliquid contrarium Fidei, falſa nimirum eſſe loca Scripturæ, ex quibus id manifeſtè deducitur, & plura alia quæ his ſunt connexa. *Tertium patet*. Quia eſt aperta teſtificatio diuina, ſimplex, & eiuſdem rationis in omnibus propoſitionibus: etſi fortaſſe quoad nos non ſit ſufficienter applicata, quod eſt per accidens. Eſt præterea immediata, quia non continetur in alia propoſitione reuelata, neque tanquam pars in toto, neque tanquam effectus in cauſa, nec denique formaliter tanquam in re omninò eadem, aut quouis alio modo.

SECVNDA PROPOSITIO. *Terra in æternum ſtat*, quatenùs opponitur motui Circulari, eo modo, quo à ſuis authoribus aſſeritur; non eſt de Fide directè & primariò, ſed indirectè & ſecundariò. Vtriuſque dicti, eſt ratio eadem quæ ſuperioris propoſitionis, & ex oppoſito huius, ſequitur Solem quieſcere, Terram non eſſe ſtabiliter appenſam in nihilo, quæ ſunt contra Fidem. Eſt verò de Fide partim immediatè, quatenùs continetur in ijs S.Scripturæ locis, quæ ex ſua ſtabilitate, negant Terræ motum localem ſecundùm totum, quem tamen authores ſui attribuunt eidem Terræ, circumlatæ per omnes Cardines in Orbe magno.

TERTIA PROPOSITIO. *Terra in æternum ſtat*, quatenus ſignificat durationem. Eſt de Fide indirectè, & ſecundariò ijſdem de cauſis; Ex oppoſita enim ſequitur, falſam eſſe comparationem à Scriptura adhibitam, cum Generatione prætereunte & adueniente. Iccircò dici poteſt eſſe etiam de Fide partim immediatè, quatenùs ex intentione dicentis clarè ſignificatur; partim verò mediatè, quatenùs in hac propoſitione, *Generatio præterit, & Generatio aduenit*, vel

con-

continetur virtualiter, vel ſecundùm noſtrum concipiendi modum, ad poſitionem eius neceſſariò infertur ex connexione relatiuà.

QVARTA PROPOSITIO. *Cælum eſſe ſurſum*, & *Terram deorſū.* Eſt de Fide directè & primariò, & partim mediatè. *Primū patet.* Quia continetur in ijs propoſitionibus, quibus Chriſtus ſignificatur deſcendiſſe in Terram, ad ſalutem hominum procurandam, & ea peracta rurſum ad Cælos aſcendiſſe, qui eſt articulus Fidei, neceſſariò ſub his terminis credendus ad beatitudinem obtinendam; Et eo ſemel negato, non ſolùm plura deſtruentur, in Scriptura quocunque modo contenta, ſed quæ tanquam articuli Fidei, atque ideò neceſſaria ad ſalutem; ſiue explicitè, ſiue implicitè credenda, proponuntur: *Secundum patet*. Quia Cælum eſſe ſurſum & Terram deorſum, paſſim diſertè & clarè, immò & cùm ſufficienti applicatione proponitur: quod eſt eſſe in ſe & immediatè reuelatum; deindè continetur in ijs propoſitionibus quæ ſunt articuli Fidei, vel tanquam in re omninò eàdem, vel tanquam pars in toto potentiali: verè enim ſi Chriſtus aſcendit ad Cælum, aſcendit etiam ſurſum, iuxta illud *Ad Coloſ.* 3. *Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Patris*, &c. quod eſt eſſe mediatè reuelatum.

QVINTA PROPOSITIO. *Solem moueri*, ſiue abſolutè ſiue circumlatione. Eſt de Fide indirectè & ſecundariò, ſed immediatè. *Primum patet*. Quia non eſt articulus Fidei, ſed ex oppoſita ſequitur aliquid contra Fidem, non ſolùm ex eò, quòd cùm expreſsè dicatur in multis locis Solem moueri, id negare, eſſet arguere Scripturam falſitatis; verùm etiam; quia in pleriſq; de prouidentia Dei non rectè ſentiendi crearetur periculum, nec abſolutè dici poſſet *Ad Rom.* 1. *Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta conſpici, ſempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem.* Quæ ſi ex vlla creatura verificantur, maximè ex conſideratione Solis, idq; manifeſtò patet, nedum ex varijs dictis S. Scripturæ *Geneſ.* 1. *Eccleſiaſtici* 43. ſed etiam ex Sanctis Patribus, & varijs antiquorum Philoſophorum, lumine naturæ inditis opinionibus: *Secundum patet*. Primò ex multis & apertis S. Scripturæ locutionibus, vt nulla explicatione egeant: deinde ex ipſa materia & fine propter quem Sol creatus eſt, & per ſe primò cùm talibus qualitatibus inſtitutus; denique quia Solem moueri, ſecundùm ſe eſt reuelatum, & non quatenùs virtualiter vel formaliter, vel quocunque alio modo continetur in alia propoſitione, immediatè & primariò reuelata, vt ea ratione mediatè reuelata dici queat.

SEXTA PROPOSITIO. *Terram eſſe Centrum mundi*, ſi quem-

quemadmodùm diximus probabilius eſt, eſſe de Fide: erit de Fide indirectè & mediatè. *Primum patet*, quia ex oppoſito ſequitur Terram non eſſe appenſam in nihilo, nec eſſe remotiſſimam à Cælo, (contra pleraq; loca Scripturæ) quemadmodùm eſſe ſolet Centrum à partibus ſphæræ extremis, vel circuli peripheria. Præterea aliquod aliud corpus immobile conſtituendum erit in medio Vniuerſi, quod iuxta præſentem ordinem, abſque præiudicio Fidei fieri vix poteſt, præſertim ſi corpus Solis conſtituatur loco Centri, vel quodcunque aliud corpus, quod ſupra, vel circum, & iuxta Terram mouetur, aut quouis modo agitatur. *Secundum patet*: Quia Terram eſſe Centrum Vniuerſi, continetur in ijs propoſitionibus Scripturæ, *Eccleſiaſtici* 24. & 43. ex quibus elicitur Cælum Sphæricæ eſſe figuræ, qualis competebat corpori perfectiſſimo, & ad motum inſtituto; iuxta ea quæ Capite ſuperiori adſtruximus.

Ceterùm quod hic monemus, eſt, nos in hoc diſcurſu eatenus vti huiuſcemodi terminis ſyncategorematicis, *mediatè, immediatè, directè, indirectè*, & id genus, quà iuxta Theologicam acceptionem, ad noſtram ſententiam explicandam adhiberi potuerunt, ne ſi fortè cuipiam iuxta varias habilitates aliter ſumi poſſe videantur, in alienam à noſtro intento diſcedat interpretationem, rei minus accommodatam.

Poſito quòd Terræ quies ſit de Fide, an liceat in contrarium diſputare.

CAPVT DVODECIMVM.

DICO primò, poſito quòd ſit de Fide, & ſufficienter propoſitum, Terram ſtare, nullo modo licere contra diſputare. Patet Quia ſi dubitare non licet, multò minus ob periculum proteruè diſputare. Et ne alioqui ex pruritu, & calore curioſæ contentionis, facilior ſit lapſus in manifeſtos, atque etiam in pertinaces errores; neque ſolùm vt quis priuato cum periculo male ſentiat, verùm etiam publico malo alios in ſententiam pertrahat. Difficile quippe eſt conceptam opinionem tenere, cui quoquo modo adhæreas, & coronam male feriatorum nactus ſis, vbi effundas. Quod quidem periculum arceſſere ex præſenti argumento magis procliue eſt, quàm ex quibuſdam alijs quæ ſubinde in Philoſophia & Theologia, vt mox dicemus, diſputantur; de quorum veritate ita religioſè conſtat apud omnes doctos, nemo vt Chriſtianus vnquam dubitarit.

Dico ſecundò, licere ex hypotheſi aſſumpto motu Terræ, vti ad putationes Mathematicas conficiendas. Patet tum ex conſenſu Eccleſiæ, quæ Copernicanæ putationis vſum permittit, etſi principia ex quibus illa deducitur abſolutè damnet, iuxta ea quæ infra dicturi ſumus in reſponſione ad Septimum Argumentum, ex ſententia S. Congregationis Indicis: tum quia ſaltem ex hoc capite non omninò pœnitendus hinc exiſtere poteſt fructus, ſi Matheſeos iuuandæ gratia exerceantur ingenia, magisq; ac magis explorata ſyſtematis falſitate, contrario perficiendo opera detur. In quo tamen operoſo negotio ſemper meminiſſe iuuabit eorum, quæ ſupra *Cap.*4. ex Sanctis Patribus attulimus, & præſertim Eccleſiaſtis dicentis. *Cap.* 3. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſq; ad finẽ.*

Porrò in vſu calculi Copernici duplex eſſe poteſt progreſſus. Alter ex hypotheſi purè Mathematica, quæ tamen à principijs veris & phyſicis etiam putatis, minimè cenſeatur pendere. Alter ex hypotheſi, quæ exiſtimetur principijs naturalibus & veris, vel quæ talia habentur niti, & ex eiſdem concluſiones certas ac demonſtratas, vel quæ tales reputantur, deducere.

IVXTA

IVXTA primum, licet eatenùs operari, vt poſito illo ſyſtemate pleraq; phænomena explicentur, periodiq; omnes motuum, & quicquid huc ſpectare poteſt, arithmeticè & velut ex arte ſubducantur; non aliter quàm ſi ex poſitionibus Ptolemæi, aut quibuſuis alijs præter Copernicanas cenſerentur. Ceterùm ſicut Mathematicus ſi poſtulet lineam dari infinitam, aut quauis quantitate continua maiorem vel minorem, rectè concludet ſuperſtrui poſſe triangulum infinitum, neque tamen verum erit in rerum natura dari lineam infinitam; rectè præterea deducet lineam eſſe longitudinem ſine latitudine, & profunditate, ſi punctum fluere, & lineam eſſe fluxum puncti ſupponat, quod tamen reipſa falſum eſt & phyſicè impoſſibile: denique aptè concludet poſſe abſolutè, & ſimpliciter eſſe maiorem Orbium & Planetarum magnitudinem, itemq; diſtantiam à Sole poſito in Centro, neque tamen attento præſenti ordine Vniuerſi, verum erit, aut immenſam eſſe eam magnitudinem, aut eam ſyderum diſtantiam, vt quæuis ſtella Sole ſit maior, & libero oculo diametri menſurabilis; Ita prorſus dato Syſtemate Copernicano, etſi falſo & à ratione alieno, deduci poſſunt putationes veræ, eademq; principia vaga (vt hinc etiam falſitas arguatur & incertitudo) applicari poſſunt ad alia, quæ in phyſicis genuinas habent cauſas. Sic quippè dato motu Terræ, non nemo periodicos Solarium macularum curſus, in variam Terræ circumuolutionẽ reduxit, etſi ab alijs aliæ demonſtratæ ſint cauſæ: Sic fluxum & refluxum Maris tot pridem rationibus phyſicis explicatum, in eundem motum referre quidam conati ſunt, minus felici auſu, ſed vt rectè audere viderentur, qualitatem Terræ magneticam indiderunt, eàdem opera quæuis alia imaginaria excogitaturi, vel ſi Terram animal magneticum eſſe affirment, In quibus tamen fortaſſe liberiùs, & ridiculè diſputatur. At in Syſtemate Copernicano, progredi licet eatenùs, vt examinari tantùm queat, an ex falſis illis poſitionibus, rectæ & cum ſydereis motibus cohærentes eliciantur ſupputationes.

IVXTA alterum ſenſum, in vſu calculi Copernici eatenùs eſt progrediendum, vt nedum de principijs, niſi oſtendendo eorum falſitatem, ſed neque de ipſa putatione tanquam ex vera hypotheſi pendente, liceat diſputare: Idq; tum ob rationes initio Capitis adductas; tum quia puri Mathematici, ſi in plerisq; alijs, in præſenti argumento ad phyſicas, atque etiam Theologicas rationes reducto, non diſcernunt, quid ex quo ſequatur, neceſſitate vel conſequentiæ, vel conſequentis; iccircò non ſolum puralogizant, ſed etiam inepta & falſa Scripturarum interpretatione errant, alijsq; periculum errandi creãt.

Ob quam, inter alia cauſam, rectè cauit S. Congregatio Indicis, ne quid præter vſum calculi Copernicani, circa hypotheſes ſtabiliendo affirmaretur.

Non eſt eadem ratio multorum aliorum, quæ quamuis de fide eſſe non neſciantur, citrà periculum & prohibitionem in vtramque partem diſputantur; Velut an Mundus ſit, vel potuerit eſſe ab æterno, & hoc poſito, qui ſtatus rerum futurus fuiſſet, quomodò item generatio poſſibilis, pluraq; alia quæ vel in Philoſophicis, vel in Theologicis agitantur, De Prima cauſa, De creatione, Infinito, Rerum animatione; De animorum immortalitate, & id genus haud pauca. In his enim non facilè tanquam ex ſenſilibus paralogizatur, & vera ſine ambiguitate diſcernuntur à falſis, quæ interdum veroſimilia videntur, denique contraria de fide Veritas firmiſſimum aſſenſum,& vſum apud omnes, vel mediocriter doctos obtinet. Quamquam in ijs quæ non ſunt de fide, liberiùs diſceptatur abſolutè & abſque vlla hypotheſi, dummodò diſcernantur, quæ ſunt contra principia naturalia, & per ſe nota.

Contra, in præſenti de Terræ motu, & Statione Solis, argumento, puri Mathematici, quia putationes ſuas ex poſitionibus Copernici, ad numerum cadere ſubinde experiuntur, non facilè accipiunt ſe ex falſis principijs vi conſequentiæ operari,ſed ea tanquam vera ſumunt, immò in Poſtulata & Axiomata dirigunt, & in Mathematicis paralogizare aſſueti, ſi quas ad rem ſuam ex Theologicis ſuppetias ſe habere putent, non vno modo errant.

PRIMO enim, quòd attinet ad pura Mathematica, frequenter contingit in illis paralogizare, ob ſenſibiles vt putatur interdum, ſed non ex veris cauſis ductas demonſtrationes, quemadmodùm multis accidit in quadrando circulo, in duplando cubo, perpetuando motu,& ſexcentis alijs, præſertim cùm non à priori deducunt neceſſarios effectus, ſed quemadmodum fit in re præſenti, à poſteriori venantur effectuum cauſas imaginarias. Ac vt in Theologicis omnes ferè Hæreſes ex ſimilibus natæ ſunt paralogiſmis, ita in Mathematicis inducuntur errores quàm plurimi. Proindè quod docet Gerſon *Propoſ.5. De ſenſu Liter. Senſum Logicalem verũ in aſſertione Theologica, non excuſare aſſerentem, quin talem aſſertionem debeat reuocare, ſi falſa ſit in ſenſu Theologico literali*; ſimili quadam ratione dici poteſt in Mathematicis, non excuſari à falſitate demonſtrationes quaſdam apparentes, quæ reductæ ad verà principia, falſitatem illicò produnt. Sanè cùm problema Mathematicum ferè eiuſmodi ſit,vt vtraque pars firma ratione probari queat, facilè eò delabuntur incauti, vt ſe Theore-

maticè demonſtraſſe arbitrentur, nec contrarium vllo modo ſtatui poſſe.

In hoc genere inueniuntur non pauca, quæ contra Eccentricos, & Epicyclos à diuerſis obijciuntur. Inter alia, *Quòd ſi Luna moueretur in Epicyclo, in perigæo aliam apparituram Lunæ medietatem, quàm in apogæo, proindè non ſemper eundem Lunæ vultum viſui obijciendum, quod eſt contra omnem experientiam*. Quo argumento qui vtuntur, non attendunt, Lunam in Epicyclo moueri circa proprium Centrum, motu Epicycli lationi conformi, verùm in contrariam partem, vnde conſequitur eandem ſemper Lunæ maculatam faciem nobis apparere; neque in hoc motu mirabilius aliquid euenit, quàm in motu Terræ, contrario motui eiuſdem diurno, quem fingunt authores ſui. Ita qui argumentantur ab Epicyclo Veneris, *quaſi is tantæ ſit magnitudinis, vt per Centrum Terræ ducatur*: non diſcernunt inter gradus & partes, quarum ſexaginta continentur in ſemidiametro Eccentrici, nec quoties ſemidiameter Eccentrici & Epicycli contineat ſemidiametros Terræ; quem numerum ſi ſubducant à diſtantia Terræ à perigæo Epicycli, tantam inuenient diſtantiam Epicycli à Terra, vt ea Mercurij, & Lunæ Orbes commodè recipiat, nedum Epicyclus Terram attingat, multoq; minus per Centrum Terræ ducatur. Quamquam cùm Eccentrici & Epicycli, imaginarij ſint duntaxat, dum per eos de reliquo, phænomenum ratio appoſitè reddatur, qualiſcumque in ijs magnitudinis exceſſus fingatur, minus rei incommodet, quàm ſi Terra phyſicè moueri affirmetur, vnde præter multa Veræ philoſophiæ contraria, illa etiam in rebus incommoda conſequantur, quæ Ptolemæus contra dictum motum argumentando adducit, ad quæ nonniſi ridendam affert reſponſionem Copernicus, vt inter alios Iul. Cæſ. La Galla *In lib. de Phænomenis in Orbe Lunæ Cap.* 7. aduertit.

Similia plura accidunt in Syſtemate, quod Terram motam in magno Orbe, Solem vero in Centro locat, cuius contrarium cùm hactenus, ſecluſa etiam S. Scriptura, conſtanter verificatum ſit, redditis ad amuſſim omnium Phænomenum cauſis: multi nihilominus ad alteram partem inclinantes, & quibuſdam rationibus apparentibus eam ſtabilientes, conſtantiùs ſe rem totam demonſtraſſe putarunt, quàm vt contrarium dici poſſet.

In hoc genere ſunt ij, qui per Terræ motum, nec aliter, affirmant ſaluari Luminarium coniunctiones. *Nam celebrata modò in hoc Cæli puncto Synodo, digreſſiſq; luminaribus, antequàm Luna 360. ſui Orbis gradus emetiatur, Sol interea proprio motu conficit gradus* 29.

& amplius; *itaq; à Luna nequaquam attingetur, quando hæc nonniſi ad punctum prioris Pleniluniȷ, vnde receſſit, hactenus potuit pertingere; proindè niſi motu Terræ, gradus à Sole peracti compleantur, quo pacto ſequens in diuerſo puncto Nouilunium contingat, nequit intelligi*. Ita ferè iſti. Sed nimirum paralogizant, ponentes Solis & Lunæ Orbes concentricos, & eatenus componentes motum Lunæ in Zodiaco, cum motu in proprio Orbe, & Solis in Ecliptica, nec rectè adhibentes Medios motus vulgò vſurpatos. Poſitis quippè Eccentricis & Lunæ Epicyclo, ita partes periodici motus, quæ inæquales apparent, æquantur ex præſcripto, nulla vt inęqualitas intercedat. Nam lineis Veri & Medij motus, regulariter ſuper ſuo Centro incedentibus, etſi rationes Orbium ac Centrorum, alia fortaſſe puncta Cæli reſpiciant; ita omnia Lunæ Phænomena, noſtro aſpectui, qui eſt loco Centri Mundi ſe ſe offerunt, vt æquales anguli, ſemper contineant aut æquales angulos, ſi circuli ſunt æquales, aut ſimiles & proportionales, ſi circuli ſunt inæquales, & præterea quando differunt linea Veri & Medij motus, ſemper cum Augis linea conſtituant angulos æquales. Ex quo neceſſariò conſequitur, vt his angulis reſpondeant ſimiles arcus Eccentrici & Zodiaci, ſemperq; loco & tempore debito eueniant Nouilunia; ceteraq; Lunæ ſchemata, attentis tàm in coniunctione, quàm in oppoſitione media, & extra hos ſitus, varijs centrorum Epicycli & Eccentrici, nec non lineæ Medij motus Solis poſitionibus. An verò tot ſeculis adhibita huiuſmodi æquatione quippiam peccatū eſt, quo minus proportiones motuum Solis & Lunę rectè diſpenſarentur, etiam abſque fictitio Terræ motu? minimè verò.

Adde poſitis etiam Orbibus Concentricis, non rectè iſtos argumentari; Quæ enim circa idem punctum in Orbem voluuntur, ſimiles peripherias æquali tempore tranſcurrunt, atque adeò æquales angulos Opticos intercipiunt, ac proindè ſicut ſpatia, quia paribus angulis ſubtenduntur. (*per 33. Sex.*) ſunt æqualia, necnon motus per illa peracti æquales; ita conſequens eſt puncta Neomeniarum nequicquam ab altero Luminarium aut pręuerti, aut non attingi, ſed ſuis temporibus & locis debitis cōtingere, etſi alioqui Sol, quia remotior eſt, tardius moueri videatur quidem, reipſa tamen velocior ſit motus, ideoq; longè maiorem Eclipticæ ambitum, quàm Luna percurrat. Ceterùm quo vitio laborat hoc argumentum, eodem, aut ſimili affecta ſunt cetera, quibus authores ſui apodicticè volunt oſtendi Terræ motum, & varias inde conſecutiones circa Planetarum lationes deducere.

SECVNDO, quòd attinet ad ea, in quibus Mathematicis

S.Scri-

S.Scriptura vel metuunt, vel ſuffragium petunt, multis etiam modis contra ipſam Scripturam, contra Sanctorum Patrum interpretationem,& communem Theologorum ſententiam paralogizant & errant. Aiunt in primis, *Sacras literas de rebus vulgaribus, in quibus illarum inſtitutum non eſt homines inſtruere, loqui humano more, vt percipiantur, ijsq; vti quæ ſunt apud homines in confeſſo, ad inſinuanda ſublimiora & diuina.* In qua doctrina peccāt primò, cùm ſupponūt ex Solis motu & Terrę Statione,& ſimilibus, nō eſſe inſtitutū S. Scripturæ homines inſtruere; id enim eſt apertè cōtra ea, quæ traduntur *Eccl.* 1. Et *Eccleſiaſtici* 24. & 43. Et alioqui fruſtrà ſcripſiſſet Moyſes hiſtoriam creationis, niſi ad inſtructionem fidei, morum, & ſcientiæ ad homines dirigere voluiſſet, neque enim inſtructio hiſtorica alium habet finem, quàm morum quæ in ipſa fundatur præceptionem. Deindè peccant, quia non diſcernunt aliud eſſe, loqui cùm hominibus humano more, aliud ex falſis ducere illos in cognitionem veri. Nam vt certum ſit ex ijs quæ apud homines ſunt in confeſſo, inſinuari ſublimiora & diuina, ſiue parabolicè & ſimilitudinariè, ſiue alio quocunque modo; nunquam tamen ex ijs quæ reipſa falſa ſunt, & contra ſenſum aut opinionem humanam, conſueuit S. Scriptura aut ſimilitudines ſumere, aut quouis alio modo docere. Quare errant boni iſti Mathematici, cùm ex prædicta doctrina ſua, ſubſumunt, *Non eſſe mirum ſi S.Scriptura ſenſibus loquatur humanis, ſiue ſcietibus hominibus, ſiue ignaris, tunc, cùm rerum veritas à ſenſibus diſcrepat.* Quo pacto autem Moyſes, ex apparentibus locutus ſit ad populum rudem, infra Capite vltimo patebit.

Rurſum, cùm ſuam doctrinam ex eo confirmant, *quòd nemo neſciat Poëticam eſſe alluſionem; Pſal. 18. vbi ſub Imagine Solis, curſus Euangelij, & Chriſti in mundo exultantis peregrinatio decantatur:* non diſtinguunt inter ſenſus myſticos, & literales, in quibus illi fundantur: Et niſi literales veri ſint, myſtici non rectè ſignificantur. Cùm verò ſubſumunt *priorem apud Hebræos fuiſſe Poëſim*, ad parerga dilabuntur, nec iccirco cōficiunt impropriè locutos eſſe in literę veritate, aut Moyſen, aut Dauidem, aut Salomonē, aut quemuis alium Scriptorem Canonicum, quemadmodùm locuti ſunt Muſæus, Linus, Orpheus, Heſiodus, Homerus, ceterique profani, quos ipſi vt Diuinos colunt. Denique cùm addunt, hunc Scripturæ locum expreſſum imitatione Virgiliana, *Tithone croceum linquens aurora cubile*, more ſuo Theologizant.

TERTIO. Cùm ponunt, *non egredi Solem ex Horizonte tanquam è Tabernaculo, etſi ſic oculis appareat; idq; ſciuiſſe Pſalten,*

qui tamen mouere Solem exiſtimabat, propterea quia oculis ita apparet: non intelligunt ſe imponere Pſalti & Scripturæ, quaſi ea, literæ ſenſum in falſo & apparenti fundare velit: neque enim ex oculorum deceptione, aut imaginaria comprehenſione, ſumi potuit aut debuit idonea ſecretiori Spiritus ſancti inſtituto Veritas, vt quod reuera falſum eſſet, & tantùm in ſpecie apparens, nec in literæ veritate contra morem Scripturæ fundatum, inde Euangelij, adeòq; filij Dei curſus in terris abumbraretur. Quod porrò addũt, *Dauidem ſuo intento potitum, magnificentia nimirum Dei patefacta, quæ effecit, vt id ita oculis repræſentaretur:* iterum paralogizant, non intelligentes Dauidem non ſuo, ſed Spiritus ſancti intento ſeruijſſe, cùm ipſe fortaſſe neſciret, quid myſterij in litera à ſe prolata contineretur; neque enim neceſsè eſt, vt quæ inſtinctu & motione diuina proferunt, ea Prophetæ aut in ſe videant, aut in ſymbolis ſuis reipſa cognoſcant. Eòdem recidit, quod de Ioſua iubente Solem ſtare in Medio Cæli imaginantur, non animaduertentes, Deum authorem falſi imprudenter argui, cùm veritatem Fidei, in re apparente, & myſticum ſenſum per viſibilia fictè & falsò apparentia, ipſum fundaſſe velint.

QVARTO. Cùm hanc interpretationem, quam aliqui ex Copernicana Hypotheſi tanquam abſurdam adſtruunt, *Sol ſtetit*, id eſt, *Terra ſtetit*, dicunt eſſe *eorum qui non perpendunt, ſolam eſſe verborum contrarietatem intra limites Optices & Aſtronomiæ, nec extrorſum in vſum hominum ſe efferre:* ipſi non perpendunt, quàm ſibi & veræ Philoſophiæ contradicant. Si enim Terram ſtare, & Solem ferri iuxta ſenſum hominum, & ſecundùm apparentiam tantùm, volunt; certè iam hæc contrarietas extrorſum ſe efferre, & in vſu hominum verſari debet, præſertim ſi præter Philoſophiam communem contingat, vt deceptio ſenſus particularis circa ſenſile cõmune quale eſt motus, nec à proprio ſenſu (non variãte puta obiecto) nec denique à ratione poſſit corrigi, niſi multa abſurda concipiat intellectus, quorum formæ nunquam in ſenſu præceſſerunt: quemadmodùm contingit in præſenti euentu. Vt enim quis Solem ſtare, ratione deducat; Terram moueri concipiat neceſsè eſt; omniaq; ea monſtra intellectu formare, quæ authores huiuſcemodi motus, neceſſariò fingenda, & tanquam vera accipienda putant, *Cælum nimirum ſtare; ſydera Firmamenti, à reliquis Aſtris penè immenſo ſpatio remota eſſe; Grauia non tendere ad Centrum Vniuerſi, nec ſurſum proiecta deſcendere ad perpendiculum, ſed cum aëre raptato circumferri*, & ſexcenta id genus alia.

Deindè ſi Sol moueri videtur, quia Terra verè mouetur, vt hæc

vnica ſit cauſa in radice, motus Solis apparentis; nulla eſt contrarietas intra limites Opticæ, niſi etiam ſit intra fines Naturæ, & verè dicetur *Sol ſtetiſſe*, id eſt, *Terra ſtetiſſe*, vel ſi illatiuè & ſimpliciter reciprocando id efferatur, quemadmodùm liquet ex Hypotheticis cauſalibus, *Sol eſt, dies eſt*, & id genus, eodem modo ſiue interpretatiuè, ſiue cauſaliter & inferendo, atque etiam per ſimplicem conuerſionem prolatis; & alioqui nulla vnquam erit conuenientia Phyſicæ cum Optica, quod nemo rectè dixerit.

Ceterùm ſi motus Solis apparens, in motum Terræ verum referatur, conſequens eſt, vt tum Terra ſtante, Sol quoque minimè moueri ſit viſus, ſed verè ſtare deprehenſus, & viciſſim ex Statione Solis, velut à ſigno, Terræ quoque Statio explorata, idq; vel ratione, vel ſenſu, vel vtriſque. Si ratione, nonniſi propter eandem vbique parallaxim reſpectu Solis fixi, quæ, quia Terra etiam antea mota, & Sole ex Hypotheſi verè ſtante ſemper ſimilis, vel eadem fuit, tunc quoque cùm Terra ſtetit, moueri à ratione iudicari debuit, quod implicat in terminis: Vel ſi ſimilitudo parallaxis refunditur in apparentem antea Solis motum, in hoc etiam euentu, cùm eadem omninò ſit, Solis quoque motus apparens, ad ſenſum inuariatus manebit, proindè cùm Terra etiam ſtante, Sol moueri apparenter videatur, huius motus apparentis phyſicam cauſam aliam eſſe oportet, quàm Terræ motũ, atque adeò ruit tota Philoſophia & Aſtronomia Copernicana: Et alioqui ſi Terræ latio, vnica eſt cauſa motus Solis ad ſenſum, ea ſtante, cùm nihilominus eædem ſint parallaxes, ſequitur in dicto euentu & ſtetiſſe Terram, & vnà motam fuiſſe, vt his poſitis Sol etiam moueri videretur & nihilominus verè ſtaret.

Iam ſi ſenſu deprehenſa eſt Terra ſtare, nulla eſt ratio cur prius quoque minimè deprehenſa ſit eodem modo ſenſu moueri, quod tamen ex aduerſa ſententia ſubſiſtere non poteſt, hoc ipſo, quòd vt authores ſui volunt, Terra apparenter & ad ſenſum ſtare iudicetur. Quid enim cauſæ ſit, cur ex apparenti Statione cum Vero motu Terræ coniuncto, deprehendatur motus Solis apparens, non tamen contra ex apparenti motu & vera Statione Solis vt ipſi dicunt, deprehendatur motus Terræ apparens, aſſignari non poteſt, Nam quod prætendunt, *Solem apparenter moueri non Terram*, quia cùm *Sol paruus appareat, Terra verò magna, neque Solis motus comprehendatur viſu ob tarditatem apparentem, ſed ſolùm ratiocinatione, ob mutatam poſt tempus aliquam propinquitatem ad montes*; difficultatem non exhaurit. Etſi enim montes nulli eſſent, adhuc motus Solis deprehenderetur poſt interualla magis & magis producta à pũctis fixis,

ſiue

ſiue veris ſiue imaginarijs, non vtique ob motum Terræ, idem enim eueniret quamuis Terra in Medio poſita non eſſet, & Centri vicem, vel punctum imaginarium, vel oculus dictum motum obſeruans obtineret. Proindè ſimile quid afferendum eſſet de motu Terrę, reſpectu alicuius fixi deprehenſo, quod cùm fieri nequeat abſque imaginaria, & falſa Solis Statione, tota hæc Phyloſophia falſa & imaginaria ſit, adeòq; nec Opticæ nec Phyſicæ conueniens, neceſsè eſt.

Denique ſi Terræ Statio in dicto euentu tàm ratione, quàm ſenſu ſeruata eſt; non id vtique ex eo, quòd Solem ſtare vtroque modo ſit deprehenſum, alioqui & antea ex motu Solis apparente, motus Terræ verus fuiſſet animaduerſus, aut certè ex Statione Solis vera, Statio Terræ apparens. Sicut enim ſe habet Statio Solis apparens ad motum eiuſdem apparentem, reſpectu ſenſus & rationis; ita ſe habet Statio Terræ vera ad motum eiuſdem verum; Vnde à commutata proportione, ex Statione Solis apparente, motus Terræ verus, & ex motu Solis apparente, Statio Terræ vera deprehendi deberet. Vel ſi eatenus ſeruanda eſt homologa proportio, vt ex Statione Solis vera, inferatur Statio Terræ apparens, quæ cùm vero motu iungi poteſt, in eo euentu verè Terra non ſtetit niſi apparenter, phyſicè autem mota fuit; contra verò Sol reipſa ſtetit, à vero ſcilicet motu ceſſare iuſſus. quæ omnia cùm nimium perturbent, immò euertant Copernicanam Philoſophiam, ſatius eſt dicere; Terram in eo euentu, quemadmodùm ſemper antea fixam ſtetiſſe, nullo habito reſpectu ad motum ſeù Stationem Solis, totumq; illud miraculi in Sole tàm reipſa, quàm apparenter contigiſſe.

Sed hoc argumentum infra etiam recurret. Quod de cetero huc ſpectat, In vſu putationis Copernicanæ, quæ modo ſupra dicto permittitur, ſi minimè obnoxij eſſe velimus, ita operabimur, vt ſemper veritas oppoſita illis principijs, ex quibus ipſa putatio deducitur, mente firmiter retineatur; vt de ijſdem nihil demonſtratum haberi cenſeatur, neque enim vlla eſt demonſtratio contra Verum, præſertim Fide contentum; ſed rationes duntaxat calculares hypotheticè tantùm ducantur veræ ex vi conſequentiæ, non conſequentis reſpectû poſitionum. Vbi tamen diligenter cauendum ne ex vno genere fiat tranſitus in aliud, ex deductione videlicet calculi, argumentum ad principia ſeù poſitiones tanquam veras. Ob quam etiam cauſam minus rectè Reipublicæ conſulunt, qui præcepta huc ſpectantia, & in doctis Scholis vſurpanda, lingua vulgari edunt, & paſsim ad omnium malè feriatorum notitiã dimanare volunt, vt hinc occaſionem ex vno in aliud præcipitandi offendant. Sanè eiuſmodi verſiones, & genus

tra-

tradendæ cognitionis ſi omnibus diſciplinis grauioribus noxia ſunt; tum maximè illis, quæ circa Fidei doctrinam magis reconditam verſantur.

Denique ita erit faciendum, vt quod attinet ad principia phyſica dictæ putationis, ſemper veritas contraria vbi opus eſt, ſignatè, aut ſupponatur, aut ſtabiliatur, illudq; Auguſtini de libro Geneſis dictum, *Lib. 2. de Geneſ. Ad Lit. cap. 5.* ſemper in mente verſetur; *Maior eſt Scripturæ huius*, dicam ego pro re præſenti, maior eſt Fidei, *authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.*

Sed etiam in Concil. Later. ſub Leone X. Seſſ. 8. In ſimili diſtrictè præcipitur, vt Magiſtri Philoſophiæ, principia aut concluſiones Philoſophorũ à recta fide deuiantes, teneantur manifeſta religionis Chriſtianæ Veritate caſtigare, & Argumenta Philoſophorum diſſoluere. Verba Decreti ſunt. *Omnibus & ſingulis Philoſophis in Vniuerſitatibus ſtudiorum Generalium, & alibi publicè legentibus, diſtrictè præcipiendo mandamus, vt cùm Philoſophiæ principia aut concluſiones, in quibus à recta fide deuiare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint aut explanauerint, quale hoc eſt de animæ mortalitate aut vnitate, aut Mundi æternitate, aut alia huiuſmodi, teneantur eiſdem Veritatem religionis Chriſtianæ omni conatu manifeſtam facere, & perſuadendo pro poſſe docere, ac omni ſtudio huiuſmodi Philoſophorum argumenta, cùm omnia ſolubilia exiſtant, pro viribus excludere atque reſoluere.* Hæc ibi.

In quibus aduerto, poſt exempla allata quæ in ſpecie damnantur *tanquam aſſertiones Veritati illuminatæ fidei contrariæ, & omninò falſæ:* cùm generalis fiat extenſio *Ad alia huiuſmodi*, huc reuocari poſſe hanc de Terræ motu, & Statione Solis aſſertionem, ſiue quatenùs cum Mundi, & motus æternitate inuoluitur, ſiue quatenùs ſimpliciter ex principijs Fidei illuminatæ Veritati contrarijs (quod nos hactenus oſtendere conati ſumus) deducitur; vt hoc propter, eadem cum ceteris propoſitionibus ſententia perſtringi, ac damnari videatur. In materia enim extenſionis ſatis eſt quod militet eadem ratio deciſionis, licet etiam aliquo reſpectu minor ſit ratio in caſu ad quem fit extenſio, vt colligitur ex *Cap. Translato, extra de Conſtit.* Et declarat Panor. ibid. Proinde *omnes huiuſmodi erroris aſſertionibus inhærentes*, tanquam *Chriſtianam fidem labefactantes*, vt cetera quæ in dicto Decreto adduntur prætereamus, *vitandi & puniendi* decernuntur.

Addo etiam, permitti in eo Decreto ſimilium principiorum explanationem, addita nempè Veritatis religionis Chriſtianæ manifeſta-

tione, ſolutisq; Argumentis contrarijs; quia nunquam Philoſophiæ præcepta commodè traduntur, niſi quam gentilis ſuperſtitio docuit, collata cum Fidei Veritate falſitas deſtruatur. Eò maximè, quòd cùm Ariſtotelis Philoſophia in Scholas introducta ſit, vix quæ bene ipſe dixit, rectiùs explicantur, quàm refutando ea, in quibus male ſentit. Quæ ratio cùm in præſenti Argumento de Terræ motu, & Solis Statione non militet; neque enim vnquam aut in Scholis recepta fuere Pythagorica huiuſcemodi ſomnia, aut aliquid momenti attulere ad rem Religionis: iccircò in putatione Copernicana Philoſophiæ Pythagoricæ nixa, non vtique docenda ſunt, aut in Scholis explananda eius phyſica principia, vt inde diſputandi occaſio arripiatur; ſed vbi res tulerit, contraria veritate firmiter ſtabilita, aut ſimpliciter reijcienda ſunt, aut oſtenſa eorum falſitate, ſiue ex principijs Phyſicis, ſiue etiam Theologicis, penitùs proſcribenda.

Atque hac ratione, ſi videlicet vt dicebamus, phyſicis principijs putationis Copernicanæ reiectis & diſiectis, Veritas contraria ſignatè aut ſupponatur aut ſtabiliatur, omnis occaſio errandi præcluditur, & ne alioqui tales euadamus in Mathematicis, quales Pyrrhonij in Philoſophicis, de omnibus dubitantes, nihil vnquam decernentes; aut certè ſyſtematibus contra principia Fidei aſtruendis, in ſimili, Protagoræ Abderiti faueamus, vt de Mundo neque quomodo ſit, neque quomodo non ſit dicere habeamus; aut denique cum Diagora, & Theodoro Atheis, circa Vniuerſi conſtitutionem, Dei conditoris ſapientiam accuſemus, & quodammodò Deum è medio tollamus.

Quare quod Chriſtiani Philoſophi, & Sanctiores Theologi in re ſua præſtiterunt, id Mathematicis quoque pijs, in Argumento ſuo, exemplo eſſe debet. Sanè S. Thomas cùm quæſiuiſſet *1. part. quæſt. 2. art. 3.* An Deus ſit, nonnullisq; rationibus in ſpeciẽ probare conatus fuiſſet Deum non eſſe, tãdem ſecluſa etiam Fide, pluribus oſtendit Deum eſſe, Et *Art. 2.* idipſum demonſtrari poſſe per effectus docuit: eundemque tenuit modum vbicunque de Quæſtionibus ad fidem, & morum doctrinam ſpectantibus diſputationem inſtituit; exemplo videlicet à principio Eccleſiæ vſitato à Sanctis Patribus, quoties contra Gentiles aut Hæreticos diſputatio incidiſſet; Nec alius hodie ſeruatur modus in Sapientum Scholis & Academijs, contra quem dubio procul in re ſua faciunt, qui motum Terræ, Solisq; in Centro Stationem, contraria veritate neglecta, immò impugnata, abſolutè affirmantes paralogizant, nec ad veritatem penitiùs inquirendam & ſtabiliendam, animum aduertunt.

Sol-

Soluuntur Argumenta pro Terræ motu militantia.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

AGIMVS tantùm de Argumentis quatenùs ad S. Scripturam ſpectant, quæ quidem pauci attingunt, ne ſine religione ſua placita videantur aſſerere; quamquam ad mentem ſuam, Sacris locis quæ pro ſe laudant, perperam ferè abutantur. Alij plerunque loca Scripturæ diſsimulant, ſiue oppoſita ſibi veritate preſsi; ſiue inſuper habentes, quod ad rem ſuam facere non arbitrantur; ſiue denique ſuis paralogiſmis, quàm Scripturæ plus adhæreſcentes, Cæterùm primi hæc ferè objiciunt.

PRIMVM ARGVMENTVM.

PRIMO. *Præcipuà loca Scripturæ quæ referuntur pro quiete, ſtabilitate, aut firmitate Terræ, ſiue Orbis Terrarum, rectè intelliguntur de ſitu & ordine, quem Terra ſeruat in motu firmum & perpetuum, ad definitum Tempus; Et ſicut Cælum dicitur Firmamentum, quia quamuis moueatur ſeruat eandem firmitatem, & conſtantiam in motu; ita Terra licet circumferatur, eundem retinet ſitum reſpectu ſui, & eundem ordinem reſpectu motus. Illud* Eccleſiaſtis 1. Terra in æternum ſtat, *intelligitur de ſtatu contra interitum, quatenùs principaliter opponitur homini, qui* Iob. 14. nunquam in eodem ſtatu permanet. *Quòd verò ibidem dicitur de Ortu & Occaſu Solis, intelligendum eſt, quoad ſenſum & apparentiam, quo pacto S. Thomas* 1. part. quæſt. 70. art. 1. ad 3. *dicit Moyſen loqui de his ſecundùm quod ſenſibiliter apparent; denique non vna eſt huius loci explicatio, diuerſa ab intento ſequacium Ptolemæi & Ariſtotelis, de Terræ quiete, & vero Solis motu. Adde non vnam eſſe apud Authores, huius Ortus & Occaſus explicationem. Et inter alios S. Auguſtinus interpretatur de ortu, & occubitu Solis, quatenus poſt mõtes Aquilonares ſe occultat & iterum emergit, abſque vlla ſubtùs hemiſphærium Terræ circumuolutione.* Ergò, &c.

RESPONDEO. Negando antecedens de ſitu & ordine Terræ reſpectu motus: concedo de ordine, & ſitu abſolutè, in quo ſenſu iam inuoluitur poſitio inuariabilis virtute naturali, in medio Vniuerſi, vt alibi diximus ad mentem S Thom. *Opuſc.* 10. *art.* 16. atque adeò inuoluitur ſtabilitas, & firmitas abſque motu, quæ innuitur paſſim in Scriptura. *Ad probationem*. Dico, non eſſe eandem rationem firmitatis Cæli & Terræ, Cælum enim etſi moueatur, non variat ordinem Vniuerſi, ſicut variaret Terra, præſertim exiſtens inter Planetas, Sole in medio conſtituto: quamquam ſi moueretur circulariter in loco ſuo, non ſequeretur talis variatio, ſed aliundè fieret motus contra naturam, quatenùs id accepit in Creatione, vt naturaliter quieſcendo in medio, finem ſuum aſſequeretur.

Ad 1. *Eccl.* RESPONDEO. Illum locum non eo tantùm ſenſu accipi in Scriptura, quemadmodū fusè ſtendimus ſupra *Cap.* 5. 6. *&* 7.

Ad alterum locum de Ortu & Occaſu Solis. RESPONDEO PRIMO. Potius dicendum fore Solem, & Stellas ſtare ſecundùm apparentiam, iuxta ea quæ diximus *Cap.* 9. *ex S. Auguſt. & Gregor. Nazianzeno*; tum quia nonniſi per ſpatia temporum percipiuntur puncta receſſus & acceſſus ad Cardines, quæ cùm tardiùs aduertantur in Stellis, planè fixæ videntur in Firmamento, quod idcircò nomen Aplanes à Græcis ſortitum eſt. Idem accidit in Terra conſtitutis, obiecta enim, longè à viſu diſſita, quamuis moueantur, ob eandem cauſam, & ob angulorum reſtrictionem ſtare videbuntur, donec in debita diſtantia conſtituantur.

RESPONDEO SECVNDO. Si Sol mouetur quoad ſenſum, Terra verò non mouetur quoad ſenſum, hoc ipſum ſatis Argumenti eſt ad probandam Terræ Stationem fixam: ſenſus enim non iudicat Solem moueri, niſi quia percipit puncta receſſus ab vno, & acceſſus ad aliud; quæ quia reſpectu Terræ non percipit, ſemper enim eadem ſeruatur longitudo & latitudo, immò eadem inuariatio quoad polos, rectè iudicat Terram ſtare, & Solem moueri.

RESPONDEO TERTIO. Negando Ortum, & Occaſum Solis excuſari poſſe quoad ſenſum & apparentiam, quaſi non ita ſe habeat in rei veritate. Et alioqui in dubium vocabuntur plurima in S. Scriptura, vt iam miracula à Moyſe coram Pharaone patrata, præſtigiæ, & ludificationes dici queant, non miracula; idemq; dici poſſit in pleriſq; alijs, tum in deſerto tum alibi actis, quæ nefas eſt dicere, ſecundùm apparentiam tantùm contigiſſe. Et profectò mirum ſit Vniuerſos penè Sanctos Patres, Solis motum cognouiſſe, neque tamen vlli veniſſe in mentē de apparentia quoad ſēſum, vt authores ſui ſomniāt.

QVOD

QVOD ex S. Thoma obijcitur, Moyſen loqui de his ſecundùm, quod ſenſibiliter apparent, retorquetur. Quærit enim S. Thom. *eo art.* Vtrum Luminaria debuerint produci quartà die, & ad Argumentum Tertium quo vrgebatur produci debuiſſe ſecunda die, cum Firmamento cui infixa erant; reſpondet. *Secundùm Ptolemæum Luminaria non eſſe fixa in Sphæris, ſed habere motum ſeorſum à motu ſphærarum; ſecundùm Ariſtotelem verò eſſe fixa in Orbibus, & non moueri niſi motu Orbium; ſecundùm rei veritatem tamen, motus Luminarium ſenſu percipitur, non autem motus ſphærarum; Moyſes autem rudi populo condeſcendens ſecutus eſt, quæ ſenſibiliter apparent.* Hæc S. Thomas quaſi dicat, Moyſen non narraſſe productionem Luminarium ſecunda die, cum Firmamento, in quo ſunt fixa, ſicut narrauit productionem plantarum cum formatione Terræ, cui ſunt infixæ, quia rudis populus non percepiſſet diſtinctionem naturæ ſecunda die factam; ſicut ſenſus percipit diſtinctionem ornatus quarta die factam, in qua Sol manifeſtè percipiebatur ſenſu moueri, quamuis non diſcerneretur moueri Firmamentum. Ex his verò manifeſtè ſequitur, & verum motum Luminarium percipi ſenſu, & hoc ſecutum eſſe Moyſen quod maximè ſenſu percipiebatur, tacuiſſe verò motum Firmamenti quem rudis populus, ſeorſim non diſcernebant, ſiue demum ſydera eſſent infixa, ſiue ſecus. Aliam ibidem affert reſponſionem S. Thomas, ſed hæc ſufficit in re noſtra.

Aduerto verò, quòd plerunque à Sanctis Patribus Moyſes ſecundùm ſenſum, & capacitatem rudis populi locutus eſſe dicatur in Geneſi; id non ita eſſe accipiendum, quaſi quæ diceret de ſenſilibus, apparentiam tantùm haberent, & non veritatem, ſed quia multa reticuit vera, quæ à populi ſenſu remota erant, & quibus auditis nec intellectis, facilè in errorem induci potuiſſent; vt proindè non liceat inferre, ipſum locutum eſſe de ijs, non vt veris reſpectu intellectus & naturæ, ſed vt apparentibus ad ſenſum.

Itaque iuxta S. Chryſoſtomum *Homil. 2. in Geneſ.* omiſit expreſsè tractare de Creaturis Spiritualibus, ne rudis populus qui nihil niſi corporalia poterat capere, ad cultum velut Deorum abduceretur. Implicitè tamen ſecundùm Auguſtinum *Lib. 11. de Ciuit. cap. 9. & 33.* illis verbis, *In principio Deus creauit Cælum & Terram*, vocabulo *Cæli* eas inſinuauit. Cùm item dixiſſet, *Diuiſit aquas ab aquis*, Aquę & Terræ expreſsè meminit, Aëra non nominauit, non quia reuera non eſſet Aër, ſed ne rudibus aliquid ignotum, præter illa, quæ manifeſtè ſenſui apparent, proponeret; nihilominùs cùm dixit *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, Aërem ipſum quaſi aquæ annexum intelli-

gen-

gentibus ſignificauit, eſſe nimirum aliquod corpus diaphanum ſuper faciem aquæ, quod eſſet ſubiectum lucis & tenebrarum. Præterea, (vt vidimus) præmiſit productionem plantarum Luminaribus *ad excludendam*, vt inquit *Baſil. Homil.* 5. *Hexam. Idololatriam; Qui enim credunt Luminaria eſſe Deos, dicunt primordialem Originem plantas habere à Luminaribus.*

Denique loquens de Cælis, & Syderibus, non expreſſit motum eorum, ne ſeipſis moueri, atque adeò anima prædita putarentur; ſed nec alium finem eorum expoſuit, niſi qui vtilitatem populi ſpectaret, *Ne fortè*, quod prohibetur *Deut.* 4. *Eleuatis oculis ad Cælum, videntes Solem & Lunam, & omnia aſtra, & errore decepti adorarent ea & colerent, quæ creauit Dominus Deus eorum in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub Cælo ſunt*, quemadmodùm poſt Gentiles, de quibus ſermo eſt *Sapient.* 19. etiam in Chriſtianis ſeculis nõnullas ſectas is error occupauit, Manichæos nimirum & Marcionitas, apud Conſtantin. Hermanopulum *In lib. de Opinionib. Hæret.* vt Lunam & ſydera ceù Deos adorari iuberent. Miniſterium porrò in quod Deus ea creauit, Moyſes explicauit per tria, *Vt luceant in Firmamento, & illuminent Terram; Vt ſint in Tempora & dies & annos; Vt denique ſint in ſigna*: Quæ tamen quomodò fierent, tùm ipſe non apertè explicauit, ſed aliis explicanda reliquit; ea verò explicauit *Eccleſiaſtes Cap.* 1. per varios Luminarium motus, acceſſus & receſſus, omnia fieri ſignificans; eademq; diuerſis aliis S. Scripturæ locis ſubindè ſunt declarata, ex quibus deindè pleriq; Chriſtiani Philoſophi deſumpſerunt.

Atque ex his patet Moyſen, nunquam ita ad ſenſum populi locutum eſſe, vt ſenſus non fundaretur in vero, etſi non omnia perciperet: nec præterea ita reticuiſſe vera, ſed ſubtiliora, vt non aliqua ratione pro capacioribus inſinuaret, vel alio loco, & tempore explicanda relinqueret. Vide de his S. Thom. 1. *part. Quæſt.* 67. *Art.* 4. Et *Quæſt.* 68. *Art.* 3. Et *Quæſt.* 69. *Art.* 2. *ad* 3. Et *Quæſt.* 70. *Art.* 1. *ad* 4.

QVOD denique vltimò addebatur, non vnam eſſe, dicti *Eccleſ.* 1. de Ortu, & Occaſu Solis diuerſam explicationem: facilè admittimus, præſertim ſi admittatur etiam Epicuri apud *Cleom. Lib.* 2. ſententia, *Solem nimirum mori & rurſum renaſci*, vt hic etiam, ad ſenſum populi rudis dictum putes ridiculè, Oriri Solem & Occidere; Vel ſi cum Poëtis fingas, Solem caput immergere in Mare Oceanum, apud S. Auguſt. *Lib.* 1. *de Gen. ad Lit cap.* 10. Et Strabon. *Lib.* 1. Nos tamen non fabulis intendimus, ſed qui ſit ſacer, & verus ſenſus Literalis oſtendimus *Cap.* 8. & 9. Quod S. Auguſtinus alicubi non velit gyrare

Solem

Solem ſub Terra, ſed à latere Terræ Aquilonaris obiectu montium abſcondi: locus non occurrit, nec ad rem facit; Scio tamen ex ijs quæ habet, *Lib. de Gen. ad Lit. imperf. cap.* 12. *&* 13. Et *Lib.*2. *de Gen. ad Lit. cap.* 13. *&* 14. longè aliter deduci, quàm vt nolit ſub Terra circumuolui. Immò verò *Lib.*1. *de Gen. ad Lit. cap.* 10. planè contrarium haberi conſtat, quamquam fortaſſe ex eo loco, inconſiderantia quadam, alij ſecus ſint opinati. Nec obſtat interpretatio S. Thomæ *Opuſ.*10. *art.*10. Et *Opuſ.*11. *art.*6. de Spiritu Angelico mouente Solem: neque enim iccircò non mouebitur in Circulum, vt dici poſſit Oriri & Occidere, & reuerti in locum ſuum, & vno verbo, moueri, quod hìc prò inſtituto ſatis eſt.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

CAELVM ſydereum dicitur Firmamentum, nonniſi quia ſtat & eſt immotum, ergò verè Terra mouetur. Antecedens patet. Ex Epiſt. Ad Hebr. 8. *vbi nomine* Tabernaculi quod fixit Deus, *intelligitur* Cælum. *Et* Cap. 12. *dicitur* regnum immobile. *Idem ſentit Chryſoſt. tùm alibi, tum* Hom. 6. & 13. Ad Pop. *Et S. Auguſtinus* In 2. de Gen. Ad Lit. cap. 10. *id affirmat à Mathematicis ſui Temporis demonſtratum. Conſequentia probatur. Quia alioqui nullo modo poſſent ſaluari phęnomena, quę continuò experimur, vt de ſe manifeſtum eſt. Ex quo vlterius conſequitur, in miraculoſis illis euentibus,* Ioſue 10. *cùm dicitur Sol ſtetiſſe in Medio Cęli. Et* Iſaiæ 38. *Sol reuerſus eſſe in ſignum ſanitatis Ezechię, verè Terram ſtetiſſe, & retroceſſiſſe, in eaque contigiſſe miracula non in Sole, quamuis Scriptura ea exprimat in Sole propter ſenſum noſtrum. Sed neque cùm dicitur* Eſdræ lib. 3. cap. 4. Magna eſt Terra, & excelſum eſt Cælum, & velox curſus Solis, conuertit in gyro Cælum in locum ſuum vna die: *intelligendum eſt de vero motu Solis per Cardines Cęli; ſed vel de motu apparenti, vel quòd lumine ſuo cõuertat Planetas abſque motu ſphęrarum, cum iſtę ſint fixę, aut potius aëra & vaporem, qui circa Planetas circulum vaporoſum efficiunt; vel denique de motu circumgyrationis in ſeipſum in loco ſuo, vt hoc modo etiam reipſa verificetur velox curſus Solis.* Ergò, &c.

RESPONDEO: Negando antecedens. Nam vt docet S. Aug. *Lib 2. de Gen. ad Lit. cap. 10.* Nomen *Firmamenti, non cogit vt ſtare Cælum putemus; dictum enim eſt Cælum Firmamentum, non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreſſibilem Terminum ſuperiorum, & inferiorum aquarum*; qualeſcunque tandem ſint huiuſmodi aquæ, iuxta varias Sanctorum Patrum ſententias.

Ad probationem antecedentis. Reſpondeo S. Paulum priori loco nomen Tabernaculi ſumere figuratè, ſicut & S. Auguſtinus Cælum non ſemel nomine Cameræ expreſſit, Verbum *fixit*, indicat tantùm firmitatem termini inter aquas interiecti; aut etiam inuariabilem ordinem reſpectu finis, tàm ratione totius Cæli, quàm partium in eo contentarum, ſiue demum Cælum ſit Solidum ſiue liquidum, quod huc parum facit. In poſteriori loco vocat Paulus Cælum, *regnum immobile*, hoc eſt permanens, & nunquam mutabile ratione ſtatus beatitudinis, comparatiuè cum mundo & ſtatu Viatorum, in quo non habemus permanentem Ciuitatem, ſed futuram inquirimus.

S. Chryſoſtomus eius quidem fuit opinionis, vt Cælum ſecundùm ſe immotum putaret, ſtellas tamen cum reliquis ſyderibus quotidie circumuolui aſſeruit; quod quidem ſatis eſt, ne in eius ſentẽtia Terra moueri dicatur; licebit enim ita retorquere Argumentum. Stellæ & ſydera quotidie circumuoluuntur, ergò Terra non mouetur, ſed quieſcit, oportet enim aliquid eſſe immotum, circa quod ipſa moueantur, nec præter Terram poteſt aliquid aſſignari.

S. Auguſtinus loco citato, non affirmat Stationem Firmamenti à Mathematicis ſui Temporis fuiſſe demonſtratam, ſed loquitur ex hypotheſi: poſtquã enim dixiſſet *Firmamentum nõ propter Stationẽ, ſed propter firmitatem*, &c. dici: ſubdit, *nec ſi veritas Cælũ ſtare perſuaſerit, impediri nos circuitu ſyderum ne hoc intelligere poſsimus, & ab ipſis quippè, qui hoc curioſiſsimè quæſierunt, inuentum eſt, etiam Cælo non moto ſi ſola ſydera verterentur, fieri potuiſſe omnia, quæ in ipſis ſyderum conuerſionibus animaduerſa atque comprehenſa ſunt.* Hæc Auguſtinus, quæ longè diuerſa ſunt ab intento argumenti. Cæterùm curioſiſſimi iſti non quæſierunt, vtrum & Cælo ſtellato, & ſyderibus omnibus immotis, ſola duntaxat Terra circumlata, euentura eſſent ea omnia, quæ de facto euenire experimur, vel fortaſsè cum Pythagoræis quæſiuerunt, & non deprehenderunt.

Hinc verò vlterius ex mente S. Auguſtini ſatis liquet, cõceſſo etiam Antecedente falſam eſſe conſequentiam, Non poſſe, videlicet, ſaluari Phænomena, niſi Firmamento immoto Terra moueatur. Quippè Cælo non moto, ſi ſola ſydera periodis ſuis perfungantur, perindè

eſt

eſt ad rationem Phænomenum, iuxta putationes id temporis Mathematicorum: quamquam vtriſque etiam motis, eadem planè lege omnia euenire hodièq; ſit exploratum. Quinimmò contra, ſi Cælo & Syderibus immotis Terra ſola circumuoluatur, plurima quæ modò ratis, ac ſtatis momentis viſuntur, neceſsè eſt minimè videri; Vel ſi Cælum in directum extenſum, iuxta quorundam antiquorum opinionem, & non conuexum exiſtimemus, vt Phænomena ex aduerſo quis tueatur, ſiue rectos angulos communis radius, ſiue obliquos cum connectente centra viſuum efficiat. Nam ſi Cælum ſphæricum (ſicut eſt) ponamus, niſi Terram multiiugo motu trepidationis, verſus omnes Cardines ferri, aut extra Eclipticam latè inter Tropicos quoſdam hinc inde vagari, & in ſuum circulum, aut ſpiram redire fingamus; Phænomena quàm plurima quæ hodie cernuntur, occultentur neceſsè eſt. Quæ omnia vel minimum conſideranti aperta ſunt, ſi tamen conſiderando, tot diuerſorum motuum ſpecies non exhorreat, etſi alioqui monſtroſum Terræ motum admittat.

Quod dicitur in prodigioſis illis euentis, temporibus Ioſuæ & Ezechiæ, in Terræ Statione, & regreſſu miraculum contigiſſe, veritate caret. Nam ſecus in priori euentu, quod attinet ad miraculum Ioſuæ, non rectè diceretur in Scriptura: *Et Luna contra vallem Aialon*, puta, ne mouearis: Cùm enim Luna in paruo Orbe, ſimili motu feratur, ac Terra in Magno iuxta authores ſuos, ab Occaſu in Ortum ſecundùm ſucceſſionem, Terra ſtante non magis dici poterat, ne mouearis contra Aialon, quæ erat Occidentalis reſpectu Gabaon, quàm ne mouearis contra Gabaon, cùm interea ordine & motu proprio, dicto modo volueretur, & ne acceſſu ſuo ad Solem, vel diem pugnæ adimeret ſi in nodo foret, vel extra nodum, Heliacè præter ordinem occumberet, præuertendum erat; alioqui vana erat iuſsio, vt curſum ſiſteret: idq; multò magis, ſi cum alijs dicamus Lunam fuiſſe Orientaliorem, atque adeò vel plenam, vel proximam plenitudini circa initia Tertij Menſis; in quo ſtatu, quia non tàm aduerſum venit Soli, quàm ab eo ſuo motu ſenſim receſsit, nulla ratio erat cur ſiſtere, nec moueri contra Aialon, ſi hæc etiam Orientalior fuit, iuberetur.

Quòd ſi Lunam quoq; fixam natura velint, & tantùm Terræ motum inhibitum pro tempore, præter quàm quòd ſitus omnis reſpectiuus & ordo ſyderum tollitur, admirabilis inducitur confuſio in modo loquendi Scripturæ, nullis regulis aut ſenſu figurato explicabilis, ſed contraria planè ratione, vt cùm dicit Solem moueri vel Lunam, hæc verè ſtare credamus, Terram verò moueri contra ſenſum nobis perſuadeamus; Et rurſum cùm iubeat Solem vel Lunam non moueri,

Terram duntaxat, ipſis natura immotis, curſum continere intelligamus. Quibus adde, non fuiſſe futurum minus miraculum ſi Terra ſtetiſſet, immò ea ex parte maius, quòd moles adeò grandis, & ſenſibilis, voce hominis ligata riguiſſet; Verùm hoc ipſum miraculum, conſtare debuiſſet ijs, propter quos factum erat, ad Deum magis glorificandum; qui autem id fieri poterat, apud quos nulla de Terræ motu ſenſilis ſuadebat experientia, quin potiùs contrarium ceù exploratum habebant, vt iccircò riſui potiùs proficeret tale miraculum, quàm Dei glorificationi; iuſſiſſe videlicet Terram ſtare, natura quieſcentem, nec ſenſu magis quàm ratione immotam, & miraculum edidiſſe populis non aduertentibus, quod neceſſariò percipere debuiſſent: niſi iam dicamus vniuerſis propoſitum fuiſſe & explicatum ſyſtema Pythagoricum, idq; breui poſt Moyſen interuallo, cui Ioſue ſucceſſit, qui nihilominus exemplo Moyſis, rudi populo miraculum in Sole & Luna factum, ad ſenſum prædicaret; fortè quia fieri non poterat, vt in Terra ſentirent. Nugæ.

Veruntamen id Authores ſui confirmant ex illo Virgilij, *Prouehimur portu Terræq; Vrbesq; recedunt. Sicut enim nauigantes motum nauis minimè percipiunt, ſed littora, Terras & Vrbes, etſi alioqui fixas moueri arbitrantur; ita Terram moueri, etſi quàm citatiſſimè feratur non ſentiunt, iccircò Solem, Lunam & ſydera, alioqui immota, circumuolui exiſtimant*. Sic iſti. Sed eſt argumentum perfriuolum, & quod cõmodiùs ex ludo vertiginis petatur (vulgò ad Æneam muſcam dicũt) in quo circumactis in eodem ſitu, nec loco motis pueris, vniuerſa iuxta motionem ſpirituum ſuſquè deque ferri videntur. In re præſenti experientia conſtat, nauigantes niſi obtutum in nauim qua vehuntur immotum defigant, reipſa ſentire progreſſum ſuum ad motum nauis, & obiecta corpora poſt ſe ſenſim, & longo tractu relinquere, tanquam ſi & ipſa vero motu moueantur; id quod ex viſiui organi motione contingit videri, ob quam præteruehentium oculi ad res poſt ſe relictas conuertuntur, quæ tamen verè ſtare cognoſcuntur. Nihil horum experimur in Terra, quantumuis multiplici motu, & quidem velociſsimè feratur, cùm interea Planetas & reliqua ſydera tametſi remotiſſima, moueri aut mota eſſe per ſe aduertimus, idq; varijs rationibus comprobamus; immò vel ex mutatione loci, vel quieſcente etiam oculo, ex diſtinctis temporum interuallis ad ſenſum deprehendimus, nulla interim prorſus ex Terra habita ſenſili experientia, quæ tamen eſſe deberet quemadmodùm in motu nauis.

Addi poteſt ad motum nauis, vel currus, non velocius videri ferri

cor-

corpora obiecta quàm ipſam nauim, aut currum, quæ alioqui ſi mouerentur, ex ratione Opticæ duplo velociùs ferri putarentur: cùm tamen interea velociſsimè videamus ferri Luminaria, nulla habita experientia veri motus Terræ, nam imaginarius motus variatur ad lationem nauis, quæ ſi ad Occidentem pergat, ipſa videbitur pergere ad Ortum, ſi contra ad Orientem tendat nauis, Terra exiſtimabitur ferri ad Occidentem, & ſic de ceteris differentijs, quæ reipſa Terræ, etiam opinione authorum ſuorum conuenire nequeunt. Dixi velociſsimè videri ferri Luminaria; nam propter magnitudinem nec adeò immenſam diſtantiam, quemadmodùm ceteris paribus ex axe optico attinguntur, ita oculis motum eorum ſpontè proſequentibus, moueri deprehenduntur, ad eum ferè modum, quo præterlabentes amnes, ſi attentiùs inſpiciantur, fluctus quoque aſpectū, & aciem intentam rapientes, decurrere percipiuntur. Cæterùm ſi de Aſtris præſertim Firmamenti ſit ſermo, etſi velociſsimo cieantur motu, ob longiſsimum tamen interuallum, eòq; diminutos angulos viſiuos, quieſcere potiùs quàm moueri videbuntur, nec niſi iuxta dicta, poſt tempus locum mutaſſe deprehenduntur, idque verum eſt etiam in obiectis medio aſpectu, & communi radio ad Horizontem librato ſpectatis, neque ſolùm ſi recta linea abſcedant ab oculo, verùm etiam quando illorum curſus directum radium tranſuerſum ſecat.

IN poſteriori euentu, quod ſpectat ad miraculum Ezechiæ factum, falſitas argumenti patet ex dictis ſupra *Cap.* 8. Quibus addo Regem Ezechiam non fuiſſe adeò rudem, vt de motu Terræ nihil ſciſſet, ac proinde tam implicatis verbis miraculum ab Iſaia flagitaret. Poterat quippè Iſaiæ optionem danti, vno verbo proponere, Volo vt Terra retrocedat; poteratq; Iſaias eodem ſenſu & facilitate dicere. *Et reuerſa eſt Terra*, non verò, *Et reuerſus eſt Sol*. Neque enim in palatio Regis, aut potiùs in toto Regno obſcurum eſſe poterat Terram moueri, ſi ita fuiſſet, tot præſertim elapſis à Moyſe ſeculis quibus non amplius ea ruditas populis ineſſet, vt duntaxat ſenſu apparentia, non etiam ratione probata perciperent. Quis enim dubitet legiſſe Ezechiam, & omnes eius ætatis viros ſenſatos, quæ pridem Eccleſiaſtes de Terræ Statione, & Solis motu ſcripta reliquiſſet, eademq; ipſa experientia quotidiana, doctisq; rationibus, quemadmodùm apparet ex propoſitione Iſaiæ, facta comprobaſſe; proinde ſecundùm veritatem de regreſſu Solis, non de retroceſsione Terræ ſermonem formauit, quo tamen nihil fuiſſet faciliùs, ſi reipſa conſtitiſſet.

Huc accedit, quòd cùm Scriptura, quæ ſub Metaphoris & Tropis

tradit, pleraq; aliјs in locis expreſsè & propriè ſignificet, mirum admodùm eſſe, nullibi in ea clarè ſignificari Terræ motum, & Solis quietem, vnde maiora naturæ miracula ad Creatorem cognoſcendum & glorificandum, ſuppetere queant, iuxta ea quæ multis dicuntur *Sapient.* 13. ſed contrarium non vno loco aut indicari, aut manifeſtè contineri: neque enim ſemper rudes populi perſeuerarunt, quibus nihil niſi pro captu ſenſuum proponeretur, præſertim cùm id ad Deum in ſuis admirabilibus prædicandum referatur. Quis enim in Terra poſitus non dicat, maius eſſe miraculum Terram cùm aqua circumferri, nec obrui cum omnibus ſuper eam viuentibus, quàm nunc Solem moueri, ſiue in liquido, ſiue in ſolido ſpatio, eòq; firmato, vt nequeat decidere? Quin verò hoc vno Argumento, periculum omne Idololatriæ procul fuiſſet à principio, ſi Solem & ſydera motu carentia, adeòq; ſpiritu deſtituta, quamquam moueri viderentur populi cognouiſſent, explicata præſertim eius apparentiæ cauſa ex motu Terræ orta, ne tamdiù cum vario periculo ludificarentur. Niſi iam fortè dicamus, Scripturam vbique in contrario ſenſu accipiendam, vt cùm dicit Terram ſtare, Solem moueri, hunc quieſcere, illam ferri intelligamus.

Ceterùm *omnia Elemēta ſuum cuſtodire ſonum*, vt dicitur *Sapient. Cap.* 19. hoc eſt ſui ſitus, ordinis, officij, ſeruare harmoniam, iuxta ea quæ ex Clemente Alexandr. ſupra *Cap.* 4. diximus, ſicut in omnibus verum eſt ſeruata proportione, ita in Terra, etiam ratione ſuæ Stationis; vt huc etiam, & quidem præcipuè referri poſsit, quod eodem *Cap.* 19. ſubiungitur, *Vnde æſtimari ex ipſo viſu certè poteſt*, hoc eſt ſine alio diſcurſu, vel à rudibus populis percipi, Terram ſtare, & nullo modo moueri: quod à contrario transferri poteſt ad Concentum Cæli, de quo Iob *Cap.* 38. *Concentum Cæli quis dormire faciet*, vt nempè Solem qui præcipua huius concentus pars, & velut Chorda Cæleſtis Organi habetur, continuò moueri, & nullo modo ſtare, æſtimari ex ipſo viſu certò poſsit.

QVOD denique additur in Argumento ad explicationem loci Eſdræ, ridiculum eſt. PRIMO enim ſi Sol quieſcit æquè in omnes partes lumen & radios diffundens, nulla eſt ratio cur in vnam potiùs quàm in alteram partem Planetas conuertat, atque in ſuis motibus dirigat, ipſe interim priuatus omni motu. DEINDE eadem ratione, qua motus Planetarum in ipſum refunditur, refundi etiam debet motus Terræ, atque adeò motus Orbis Magni in quo Terra fertur, quod quàm cohærenter dicatur, viderint patroni. TERTIO, quod dicitur de aëre, & vapore circa Planetas, non ſubſiſtit: Aër enim

enim, & vapor, vel mouentur ad motum Planetarum à Sole, & redit prima difficultas; vel à principio extrinſeco diſtincto à Sole, & cùm idem dici queat de Planetis ſiue ad motum Sphærarum, ſiue motu proprio ſeorſim, nihil motus recipiunt à Sole. Quod verò iterum repetitur de motu apparenti, iam ſæpè profligatum eſt.

Illud de motu circumgyrationis in ſe, intento non fauet. Is enim cùm vniformis ſit in vnam partem, in eandem rapere ſecum debet Planetas, vt vna die in gyro ſuo ad eundem locum conuertantur: at quomodo motus Planetarum cieantur in aduerſum, Sole in diuerſum nitente, explicari vix poteſt, idq; præſertim in Luna in paruo Orbe circa Terram mota, (eademq; ratio videtur eſſe de ſatellitibus Iouis, in ſuis Orbibus circa Iouem.) Nam ſi in eo Orbe Luna circumuoluitur ſingulis diebus motu ſeorſim à Terra, ſingulis diebus contingent nouilunia & plenilunia; vel ſi motu ſuo regulari pergit in præcedentia, remouendo ſe à Sole, nihil habet ab illa circumgyratione Solis quotidiana, niſi vt moueatur ad motum Magni Orbis vnà cum Terra, quod illi quidem non admittent, qui Sphæras moueri negant: Alij verò admittere non audebunt, niſi prius de regulari, vel irregulari motu circumgyrationis determinent, quod an fecerint, ambigo.

Eadem verò difficultas eſt de motu Terræ proprio, quem habet annuum circa Centrum proprium, motui diurno cõtrarium; qui enim is fiat à circumgyratione Solis contraria, intelligi non poteſt. Dubitabit deindè quiſpiam, an ceſſante dicta circumgyratione, Planetæ quoque cum Terra ferientur à motu; ita enim videtur aſſerendum, habita ratione cauſæ, à cuius actuali influxu dependent ij effectus: Proindè cum Ioſue ſtare iuſsit Solem, de hac, à gyratione in ſeipſum, ceſſatione, intelligi poteſt in ſenſu literali, eritq; ſenſus Scripturæ, *Sol ne mouearis contra Gabaon*, id eſt, vt Septuaginta vertunt, *ad Occidentem*, ſenſus inquam erit *Sol ne mouearis ad Orientem*, qualis eſt motus circumgyrationis: Vel ſi Planetæ ad Stationem Solis, à motu duntaxat diurno ceſſarunt, pergentes interim motu ſuo annuo, falsò dicetur Terra quieuiſſe, & in ea, non in Sole factum miraculum, quando Terra non quieuit niſi apparenter.

QVARE ſenſus Verborum Eſdræ, non eſt quem fingunt dicti Authores, quaſi Sol actiuè conuertat Cælum, ſeù quod idem eſt Cælum aut Planetæ paſsiuè conuertantur ad motum eius, aut etiam actione virtutis eius: ſed ſenſus eſt intranſitiuus, vt idem ſignificet, *conuertit*, atque *perambulat*, & *peragit in gyro ſuo* totum Cæli ſpatium, redeundo *in locum ſuum vna die*: loquitur verò de motu diurno ad exaggerandam velocitatem curſus, & de loco ratione ſitus Orien-

talis,

talis, quicquid ſit de loco ſecundùm idem punctum, ſi non tàm ſphæram, quàm ſpiram deſcribat, quod parum refert ad præſens inſtitutum. Hunc eſſe genuinum ſenſum eius dicti, patet inter alios ex Olympiodoro *In* 1. *Eccleſiaſtis*, qui id ab Eſdra ex Eccleſiaſte deſumptum inſinuat, eo dubio procul ſenſu, quem iuxta dicta ſupra *Cap.* 8. ipſe intendit.

TERTIVM ARGVMENTVM.

SCRIPTVRA non tantùm loquitur Metaphoricè, & iuxta communem vulgi modum in pleriſque locis, ſed hoc præſertim facit in Mathematicis, diſſimulando demonſtratas & Theorematicas Veritates; ergò licet Terram ſtare, & Solem moueri dicat iuxta vulgi ſenſum, non indè ſequitur, Phyſicè & Mathematicè ita ſe habere. Antecedens patet. *Quia* Geneſ. 1. *Sol & Luna dicuntur Luminaria magna, ſcilicet quoad ſenſum, cùm tamen longè minora ſint ſtellis Firmamenti*. Et Ioſue 10. *Dicitur Sol ſtetiſſe in Medio Cæli, cùm tamen ſtaret verſus Occaſum*. Et 3. Reg. 7. *Maris ænei diameter à labio vſque ad labium, dicitur fuiſſe decem cubitorum, & rotunditas triginta cubitorum, cùm tamen diameter non ſe habeat, vt* 10. *ad* 30. *ſed potiùs, vt* 10. *ad* 31. *Et* 7. *ad* 22. *Et ſic de alijs*. Ergò, &c.

RESPONDEO. Negando conſequentiam. Terram enim ſtare, & Solem moueri, nullum habet Metaphoricum ſenſum, quis enim ſit iſte ſenſus? nec verò id dici iuxta vulgi morem, patet inter alia ex ſolutione ſuperioris Argumenti. Addo deinde, quando Scriptura loquitur Metaphoricè, ſenſum Literalem non eſſe illum, quem propriè Metaphora ſignificat, ſed quem figuratè; neque enim cùm Dei nominat oculos, aut brachium, ſignificat in Deo eſſe huiuſmodi membra, ſed oſtendit potentiam & virtutem operatiuam. Vide S. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 10. Hinc aliqui dicunt, ſenſum literalem non eſſe accipiendum ſecundùm literam latè, vel quod ſignificatur in cortice literæ, aut etiam ſecundùm vim Logicæ ſiue Dialecticæ, ſed potiùs iuxta locutiones in Rhetoricis ſermonibus vſitatas, & iuxta tropos & figuratas locutiones, quæ communis vſus committit cum conſideratione circumſtantiarum literæ, & præcedentibus & poſterioribus appoſitis. Toſtat. *In Cap.* 13. *Matth. quæſt.* 28. Gerſon. *Tract. de ſenſu Lit. propoſ.* 2. Ceterùm, quod ad Metaphoras attinet, ita in vno

loco

loco traduntur in Scriptura,vt in alijs expreſſius exponantur.S.Thom. 1.*part quæſt.* 1. *art.* 9.

Quamquam & in myſticis interpretationibus id ferè ſeruarunt Patres, vt de Terræ immobilitate Phyſicam rationem aut ſupponerent, aut iuxta eam interpretationis ſuæ ſenſum explicarent. Quod inter alios præclarè præſtat Olympiodorus, vbi hoc dictum Eccleſiaſtis *Terra in æternum ſtat*, myſticè de immobili Veritate S.Scripturæ exponit. Sacra (inquiens) Scriptura, Terra nuncupatur, inſtar enim Terræ immobilis eſt, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit; Veteriq; ac nouo Teſtamento ſubnixa manet in ſeculum, immobiles habens & iuſtorum promiſſiones, & quæ peccatoribus declarantur ſupplicia. Mitto alios.

QVOD Sol & Luna vocentur Luminaria Magna, Chryſ. *Hom.*6. *in Gen.* explicat de magnitudine ſecundùm efficaciam, & virtutem in inferioribus. S.Thom. 1. *part. quæſt.*70. *art.*3. *ad* 4. etiam de magnitudine quoad ſenſum, & loquitur præſertim de Luna, quia nimirum maior apparet. Non fit autem comparatio Luminarium cum Stellis, quia & minores ſunt reſpectu Solis, & ob nimiam diſtantiam diameter earum viſualis, non ita facilè poteſt comprehendi, quicquid aliqui in ijs dimetiendis ſecluſo tubo optico ſint nugati; Sed Luna dicitur magna, vel abſolutè ob conſpicuitatem, abſque comparatione cum Sole, qui licet maior ſit, & maior etiam in Horizonte præſertim, vel citra vapores interceptos appareat, interdum tamen ob diſtantiam in altitudine ſua minor videtur, ob quam etiam cauſam ſuperficie plana conſtare iudicatur, ſenſu non facilè deprehendente inęqualitatem, aut globoſitatem. Vitell. *Lib.* 4. *propoſ.* 65. cùm interea Luna plena ob vicinitatem, tum dum quid atque eminens in medio corporis exhibet, etſi ceteroqui aſpectus noſter, minus ſemper intuetur hemiſphærio corporis Lunaris, quòd oculorum interſtitium minus eſt dimetiente corporis Lunaris, & eadem eſt ratio reſpectu Solis. Nulla porrò eſt in hoc caſu deceptio ſenſus, verè enim magna ſunt Luminaria quoad ſenſum, etſi etiam maiora quoad rationem. Eſſet verò deceptio ſi Solem ſtare, & Terram moueri iudicaret contra rationem.

Ceterùm quod aſſumitur Solem & Lunam minora eſſe Stellis Firmamenti, deducitur ex immenſa illa intercapedine, quam inter Firmamentum & dicta Luminaria, Syſtematis Copernicani defenſores ſibi imaginantur, vt cùm ab infinita propemodum diſtantia Sydera cernũtur, magnitudinem habeant vix vlla proportione explicabilem. Alioqui iuxta veritatem, Sol quauis Stella etiam primæ magnitudi-

nis

nis eſt maior, ſicut Luna minor omnibus ſyderibus etiam ſextæ dignitatis, vtpote quæ Terræ quoque magnitudine cedit. Vt huc etiam accommodari queat, Solem eſſe *Luminare maius*, & Lunam *Luminare minus*, habita ratione ſyderum Firmamenti, quamuis id propriè de Sole & Luna mutuò comparatis intelligatur.

IAM verò, Ioſue pugnante Solem non ſtetiſſe in Medio Cæli, ſed verſus occaſum, falsò dicitur, nec vlla ſufficienti ratione, quaſi Ioſue timuerit, ne beneficio noctis hoſtes euaderent, & iccircò frenarit Solem ne præcipitaret, vel vt Hebræus legit, *vt expectaret*. Potuit enim Ioſue maturè præuidere, defecturum victoriæ diem, & anticipando petijſſe Luminarium Stationem. Standum itaque Literæ, Solem ſcilicet in Medio Cæli vel iuxta ſtetiſſe, præſertim cùm Septuaginta legant, *Et Sol in Medio Cæli non procedebat ad Occidentem*, idque manifeſta ratione oſtenditur; dictum enim eſt, *Sol contra Gabaon ne moucaris*; *& Luna contra vallem Aialon*, ex quo ſequitur vtrumq; Luminare fuiſſe ſupra Horizontem, ſed Lunam verſus Occidentem contra Aialon, qui locus Occidentalis eſt reſpectu Gabaonis, contra quam Sol iuſſus eſt ſtare, proindè non ſequebatur ſed præcedebat Solem, ea diſtantia, quam quatuor horarum curſus, adeòq; 60. gradus interciperent; eſſentq; reſidui 30. gradus ad Occaſum, Luna quoque paulatim cum vigeſima ſecunda, vel circiter, ætatis die, ſeneſcente.

QVOD attinet ad Maris ænei diametrum, Dico id factum non quia Scriptura præciſam dimetientis ad circumferentiam proportionem, efferre non potuerit, ſed quia pro inſtituto ſatis fuit dicere, quod res Mechanica in opus deducenda poſcebat, vt tamen iuxta præſcriptum, abſque defectu rotundum euaderet Mare, habēs cubitos decem diametri phyſicè proportionatos, & circumferentiam ita æqualiter curuatam, vt nihilominus Mathematicè infinita (vt ita dicam) pro natura rotunditatis, æqualia latera, & infinitos quodammodò angulos comprehenderet, ideòq; capaciſsimum eſſet; nulla interim habita ratione myſtica, cur tantæ, & non maioris, aut minoris magnitudinis eſſe oporteret. Quamquam ſi penitiùs inſpiciamus implicitum Scripturæ ſenſum, facilè etiam ad Matheſim eam proportionem liceat commodè elicere.

Nam quod 3. *Reg*. 7. legitur in Hebræo, Chaldæo, & Latino, *Et reſticula triginta cubitorum cingebat illud in circuitu*, Septuaginta vertunt, *Tres & triginta in cubito*, quo pacto habent emendatiores Codices: nempè vtrimque craſſities Maris abſumebat palmum, proindè duo palmi (ſpithamas intellige, ſeù maiores palmos) vnum cubitum efficientes, & dimetienti additi, reddebant cubitos vndecim,

qui

qui ter in ſe ducti, edunt tres & triginta cubitos: Hi ſi rurſum in ſe ducantur per ſenarium palmorum cubiti minorum, numerus qui exit, dabit palmos minores circumferentiæ dicti Maris, cuius diametro per auream regulam inueſtigata, quartus numerus, trium ac ſexagenorum prodibit, quot nempè palmos habuit Mare iuxta Septuaginta; qui demum per ſenarium diſtributi, reddent denos & tres palmos, à quibus ſi ſubducantur cubiti deni diametri Maris, & bini palmi craſſitiem vtrinque conſtituentes, remanebit palmus hinc inde labium extendens. Atque hinc colligitur quę ratio fuerit Septuaginta, vt calculum magis Mathematicè ducerent. Vide Theod. in 3. *Reg.* 7.

QVARTVM ARGVMENTVM.

FIRMAMENTVM ſtare & ſydera in eo, non eſt contra Scripturam, Ergò per conſequentiam neceſſariam, Terram moueri non eſt contra Scripturam; Vel ſi Terram moueri eſt contra Scripturam, etiam Firmamentum moueri, quod pleriq; volunt, erit contra Scripturam; neque enim plura loca aſſerunt Terræ, quàm Firmamenti ſtabilitatem. Adde vocabulum originale Hebræum, quod Terram dicit, deriuari à radice quæ idem ac currere ſignificat, ad denotandum videlicet, velocem eius motum, etſi ſenſu inperceptibilem. Ergò, &c.

RESPONDEO. Negando antecedens, ſi nomine ſyderum intelligantur etiam Planetæ indefinitè; in hoc enim ſenſu copulatiua illa propoſitio eſt falſa, immò contra Fidem, quia Solem non moueri eſt contra Fidem, vt conſtat ex dictis *Cap.9.* Si nomine ſyderum non inuoluantur Planetæ, quicquid ſit de antecedente, nego conſequentiam; Non enim ſi Terram moueri eſt contra Scripturam, contra eandem erit etiam Firmamentum moueri, quando Terram ſtare plura loca apertè oſtendunt, non item apertè Firmamentum ſtare aut moueri.

Vnde ad replicationem, dico, falſum eſſe non plura loca aſſerere Terræ quam Firmamenti ſtabilitatem. Contrarium enim conſtat, tum ex dictis *cap.3. & 6.* tum ex eo, quòd Terra eſt Centrum Vniuerſi, quod etiam de fide eſſe probabilius dictum eſt, *Cap. 10.* proindè competit illi Statio firma ſaltem reſpectu Planetarum, aut etiã aliorum ſyderum, ſi Firmamentum non moueatur. Illa porrò loca quæ ſtabilitatem Terræ, & Firmamenti videntur inſinuare, non ſunt eiuſ-

dem rationis. Nam de firmitate Terræ vix aliquid legitur ſine addito, quo explicetur eiuſmodi firmitas. Velut cum dicitur, *Firmauit Orbem Terræ, qui non commouebitur. Fundauit ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi,* & plurima id genus per nomen Fundamenti expreſſa; cùm interea de firmitate Cæli ſimpliciter, & ſine addito vllo ſæpè fiat mentio, vt ſimplex tantùm eius creatio indicetur; vel ſi quid amplius, ordo, ſitus, ornatus, ſignificetur; quo pacto plerunq; verbum *Firmaſti* apud Latinos interpretes, effertur nomine extenſionis, vel expanſionis & ſimilibus; interdum ad ornatum exprimendum alijs vocabulis, iuxta illud *Iob. 37. Tu forſitan cum eo fabricatus es Cælos, qui ſolidiſsimi quaſi ære fuſi ſunt.* Vbi alij legunt, *Fortes quaſi ſpecula ſolidiſsima*, neque enim firmitatem, id eſt ſtatum oppoſitum motui, ſed vel ſoliditatem quandam in ſumma perſpicuitate in tranſgreſſibilem ſignificat, vt quamuis moueatur, nullo modo deteratur; vel quod certius & commune, ſi liquidum ſit, nullo modo defluat, nec ſydera, & Planetæ in eo, regularem ſuum curſum varient à terminis præfixis. Qua in re pleriq; mirantur & collaudant ſapientiam & potentiam Creatoris, qui corpus quamuis tenuiſſimum, & liquidiſſimum ita formarit, vt vna & ſpecioſum redderet, & contra defluxum ſtabilitate quadam armaret, quaſi ære fuſum, cuius natura fuſilis ſpeculorum ſplendorem, læuorem, & terſitudinem exprimit, cuiuſmodi creditur eſſe Cæleſte corpus, quod iccircò aliqui ex aqua, alij ex ſubtiliſſimo igne factum exiſtimarunt, alij denique quintam quandam eſſentiam, & à natura elementorum ſecretam affirmarunt.

Dixi: Quicquid ſit de Antecedente ſi nomine Syderum inuoluantur Planetæ, &c. Etſi enim de motu Firmamenti præcisè, nihil adeò expreſsè videatur haberi in Scriptura: tota tamen hæc propoſitio *Firmamentum moueri & ſydera in eo*, ex natura ſua copulatim accepta implicitè continetur, quatenùs & ſtellas poſuit Deus in Firmamēto, vt quemadmodùm Luminaria, ſuo peculiari officio fungerentur, motu videlicet ſuo, ſicut & Luminaria motu peragunt inſtitutum ſuum, vt præſint diei ac nocti, iuxta dicta ſupra *In ſolut. Prim. Arg.* Mitto Firmamentum etiam præcisè ſumptum, moueri, ſenſum habere Catholicum, non ſolùm ex communi ſententia, ſed præterea ex ijs quæ deduximus ſupra *Cap.* 10. ex variorum Patrum, præſertim Dionyſij Areopagitæ ſententia.

Ceterùm quod huc ſpectat, nec S. Chryſoſtomus conceſsit totum hoc coniunctim acceptum; *Firmamentum ſtare & ſtellas in eo*, non eſſe contra Scripturam, licet velit Cælum immotum permanſiſſe.

Nam

Nam *Homil. 6. in Gen. Poſuit* (inquit) *illas* (hoc eſt ſtellas) *in Firmamento Cæli, Quid eſt poſuit, nunquid quaſi diceret aliquis, fixit? abſit; Videmus enim ipſas vnico temporis momento magnum tranſire ſpatium, & nunquam in vno loco ſtare, ſed ſuum quem illis Dominus præcepit curſum perficere.* Hæc Chryſoſtomus: Quæ etiam cogunt fateri aduerſarij cùm dicunt, *Stellas in Firmamento, ſeruare quidem ſemper eundem ordinem & ſitum inter ſe, ſed variare ſecundùm latitudinem quoad Aequatorem*, niſi velint id euenire propter motum Firmamenti, vt proindè hæc duo coniunctim non poſsint verificari *Firmamentum ſtare & ſtellas in eo*, etiam in contraria ſententia; ſed alterutrum, vel vt Cælum moueatur ſyderibus ſtantibus, vel contra Cælo ſtante, ſydera moueantur; aut vtrumq; ſimul, quod nonnulli putant.

Nec verò ſufficit de Planetis explicare, quod Sancti Patres dicunt Stellas moueri, de vtriſque enim ſeorſim, & expreſsè loquitur Chryſoſtomus, vt alios taceam: de Stellis *Homil. 6. in Cap. 1. Gen.* de Sole (& eadem eſt ratio reliquorum Planetarum) *Homil 12. Ad Pop. Antioch.* Elicitur verò motus Stellarum, quod paulò ante inſinuauimus; tum ex illo Scripturæ, *Geneſ. 1. Et poſuit eas in Firmamento Cæli, vt lucerent ſuper Terram*, &c. vnde etiam elicuit S. Chryſoſtomus, tum clariſsimè ex illo *Sapient. 13. Aut ignem, aut ſpiritum aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores Orbis terrarum Deos putauerunt.* Sic motus Planetarum, niſi aliundè etiam conſtaret ex vtroque loco, ſed maximè elici poſſet ex Verbis antecedentibus prioris. *Fiant Luminaria in Firmamento Cæli, & diuidant diem & noctem*, &c.

Ex his infero. Si Cæli nomine, Firmamentum, Planetæ & reliqua Sydera intelligantur, hæc duo iuxta præſentem ordinem contradictionem inuoluere, nempè *Cælum eſſe, & non moueri:* Secùs ſi Cælum abſolutè ſumatur, vel quatenùs includit Empyreum; vel in quorundam opinione motum eiuſmodi inuoluat, ſine quo in natura deſinat eſſe, vt iccircò perpetuò moueri id oporteat. In quo ſenſu damnatæ ſunt olim hæ propoſitiones in Articulis Pariſien. *Dicere Cælum eſſe & non moueri, eſt dicere contradictoria. Cælum eſſe ſuum eſſe, virtutem habens à motore ſuo. Et hoc conſeruat Cælum per motum ſuum, Vnde ſi ceſſaret à motu ceſſaret ab eſſe. Si Cælum ſtaret, ignis in ſtuppam non ageret, quia nec Deus eſſet.* Ex quibus vlteriùs inferebatur Generationem inferiorũ, quæ eſt finis motus Cæli, nunquã ceſſaturam, nec rectè ſuppoſi quieturum motum deficiente rerum generatione. Vnde & hæ propoſitiones tanquam falſæ perſtringuntur eodem loco.

Theologi dicentes Cælum quandoq; quieſcet, arguunt ex falſa ſuppoſitione: Cælum nunquā quieſcet, quia generatio inferiorū, qui eſt finis motus Cæli, ceſſare non debet. Et *Ratio Philoſophi demonſtrans motum Cæli æternum, non eſt ſophiſtica.* Quamuis hæc vltima propoſitio referatur non tàm ad negationem finis, quàm inceptionis motus. Vide de ſingulis Anathem. Stephan. Pariſien. *Cap* 5. *num.* 13. 17. 18. 25.

TERRAM porrò non moueri; & hoc ita eſſe ſecundùm Scripturam, vt oppoſitum ſit expreſsè contra Scripturam; oſtendimus *Cap.* 3. 6. & 10. Proindè rectè negari potuit conſequentia, dato quamuis antecedente. In quo enim ſenſu non eſt contra Scripturam Firmamentum ſtare, quia nimirum non apertè, immediatè & ſine deductione elicitur ex Scriptura; in eodem ſenſu ex oppoſito, eſt contra Scripturam Terram moueri, quia partim apertè habetur contrarium in Scriptura, partim facillimè ex diuerſis elicitur, iuncta Patrum interpretatione; quorum licet alij alios ſectati philoſophos, de Cælo & Terra variè ſenſerint, & quidam etiam Terram in aquis ferri exiſtimarint, nemo tamen affirmauit Terram moueri in circulum, cùm interea omnes, ſi non de toto Cælo, ſaltem de Planetis & Stellis, & minimum de Sole idem ſint arbitrati, vt patet ex dictis *Cap.* 9. Ceterùm nonnulla quæ Sancti Patres ſubindè dixerunt, ſecundùm diuerſam Philoſophiam minùs certa, *non tradiderunt quaſi aſſerentes, ſed quaſi vtentes ijs, quæ in Philoſophia didicerunt, in quibus proindè non ſunt maioris authoritatis, quàm dicta Philoſophorum quos ſequuntur, niſi in hoc, quod ſunt ab omni infidelitatis ſuſpicione ſeparati*; quemadmodùm hæc omnia egregiè, ex verbo notat S. Thomas *In* 2. *ſent. diſt.* 14. *art.* 2. *ad* 1.

Quòd verò S. Thom. *Lib.* 2. *de Cælo, lect.* 20. examinans ſententiam de motu Terræ, non dixerit eam eſſe contra Scripturam, vt in alijs facere conſueuit, ſed ad ſummum eſſe contra Ariſtotelem; Ratio inter alias eſt, quòd non eam examinarit, iuxta principia Fidei, ſed tantùm iuxta principia naturalia; vt inter alia patet in ſimili, ex ijs quæ dicit. *In Opuſ.* 10. *art.* 16. de virtute naturali Angeli, reſpectu molis Terræ mouendæ vſque ad globum Lunæ. Quamquam & hoc in more poſitum habuit S. Thomas, ne vel affirmaret vel negaret quaſi pertinentia ad Sacram doctrinam, quæ Philoſophi communes falsò alioqui ſenſerunt, quando ſcilicet nulla ratio pro re, & tempore ad id faciendum vrgeret, *ne alioqui facilè ſapientibus huius mundi, contemnendi fidei occaſio præberetur*, quando non recurrendo etiam ad principia fidei, facilè ex naturalibus, abſurda conuelli poterant, quemadmodùm idem S. Thom. egregiè, plerunq; præſtitit in libris

con-

contra Gentes. Vide quæ præmittit. *Opuſ.* 10.

Ceterùm, Argumentum hoc loco propoſitum, facilè etiam his vel alijs modis retorqueri poteſt, Terram ſtare non eſt contra Scripturam, immò maximè conforme Scripturæ; ergò Firmamentum ſtare & ſydera in eo, copulatim vel diſiunctim, eſt contra Scripturam: Vel, Terram moueri eſt contra Scripturam ergò, Firmamentum & ſydera in eo (iuxta dictum ſenſum) non moueri eſt contra Scripturam, ſi huiuſmodi propoſitiones, mutuam quandam & neceſſariam habeant inter ſe connexionem, ita vt poſita affirmatione vel negatione vnius, ſequatur affirmatio vel negatio, & viceuerſa, alterius.

Quod additur de radice Hebrææ vocis, Dico eam non vnam eſſe: nullam tamen propoſito fauere. Quod huc ſpectat, Terra figuratè dicitur à currendo, quòd Cæleſtis ſphæra ipſam ambiens immotam circumcurrat; Sic apud Latinos lucum dicimus, quod minimè luceat; bellum quòd minimè ſit bellum, & ſexcenta id genus alia. Immò vero eadem radix non currere ſolùm, ſed etiam terere ſignificat, ex quo ſtabilitas quædam fixa plerisq; arguitur, vt quamuis omnium ambulantium pedibus Terra teratur (vnde ferè apud Latinos vocabulum ſortita eſt) ac velut trudatur, nihilominus in eodem loco immota conſiſtat, quicquid falsò præſumpſerit Archimedes, aut quicunque is fuerit, qui ſi pedem extra Mundum figere potuiſſet, totum Orbem ſe loco moturum, ſibi imaginatus eſt. Quin verò Græcis à ſenſu contrario tota ſyderea plaga Æther appellatur, à velociſſimo nimirum curſu, quæ opinio, Græcis ab antiquiſſima veritate ſenſu etiam percepta hæſit, vt iccircò quantum inde ex Hebræa radice ambiguè peti poteſt, tantum hinc authoritate certa in ſenſili experientia, & rationis demonſtratione accedere queat.

QVINTVM ARGVMENTVM.

INFERNVS eſt in Centro Terræ, in eoq; eſt ignis cruciåns damnatos, ergò Terra omninò neceſſariò mouetur. Antecedens patet. *Ex* 4. *Ad Epheſios.* Deſcendit ad inferiores partes Terræ *Et Actor.* 2. Non derelinquas animam meam in inferno. De igne verò damnatorum, patet. *Matth.* 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. Conſequentia probatur. *Quia ignis eſt cauſa motus, Vnde & Pythagoras, qui teſte Ariſtotele ponit in Centro locum pœnarum, ſentit Terram eſſe animatam, & motu præditam.*

RE-

RESPONDEO. Poſito etiam quod Infernus ſit in Centro Terræ, & ignis in eo, nego conſequentiam. *Ad probationem*, dico, ſi quippiam valet, probat etiam fornaces calcarias, furnos piſtrinos, & focularia hypocauſtorum eſſe animata & per ſe mobilia. Deindè dico Ignem, non eſſe cauſam motus naturalis, niſi ſurſum rectà ferēdo per ſe, cuiuſmodi motum nec Pythagoras, nec alij ſectatores recentiores Terræ concedunt, etſi nonnulli motum corporum circularem è medio conentur tollere. Quòd ſi ſermo ſit de igne in corpore animantis, is verò non eſt cauſa motus niſi inſtrumentaliter, & in virtute animæ informantis, ſiue formaliter inexiſtat ſiue refractus, loquendo de igne elementari, aut quouis alio modo. Cuiuſmodi animam ſi Pythagoras Terræ tribuit propter ignem in ea contentum, ignoranter fecit, & contra ſua propria principia; alioqui & ſydera dicenda ſunt ignea & animata, immò & Sol ex ignea natura animatus, ideòq; motu præditus; quomodò ergò quieſcit in Centro, vt Terra circa ipſum moueatur? Vel ſi Solem dicant moueri motu conuerſionis in ſeipſum, redibunt difficultates obiectæ ſupra in ſolutione Secundi Argumenti.

Terram porrò non eſſe animatam, pluribus oſtendit S. Thom. *Lib. 2. de Cælo, Lect.* 18. contra rationes Alexandri ſequentis errores Gentilium, iccircò Terræ cultum Deitatis tribuentium. Et profectò cùm omnis motus ſit à motore aliquo, præter formam naturalem; in motu autem corporum Simplicium qualis eſt Terra, non ſit alius motor eſſentialis præter generantem, clarum eſt ipſam non eſſe animatam, neque enim generans poteſt eſſe anima Terræ coniuncta, quemadmodùm vellet Pythagoras, ſed potiùs motor ſeparatus, qui tamen Terræ non ſufficit in ſententia Pythagoræorum, & aliorum antiquorum, ſed requiritur præterea anima Terræ coniuncta, tanquam mouens proximum, cuiuſmodi, ſi Pythagoræi velint eſſe ignem, fateantur etiam hunc ignem eſſe productum à forma ſeparata, & rurſum ab igne productam Terram iuxta eandem Philoſophiam; quæ omnia quàm ſint ridicula & abſurda nemo non videt.

Ita nimirum in pleriſq; contra propria principia impingunt Pythagoræi, maximèq; in eo, quòd cùm Pythagoras velit Terram compleri angulis octo & quadraginta, contineri autem ſex triangulis æqualium laterum, & *Cubo* ſimilem eſſe, atque adeò iuxta dicta ſupra *Cap. 3.* ad motum prorſus inhabilem; eam nihilominus anima præditam, ac latione velociſſima cieri affirmet, ſuoſq; ſequaces in nugaces errores mittat, non immeritò ab Hermia Philoſopho *In Lib. de Gentil. Philoſoph. irriſio*; ob hanc præſertim rationem Cubi, Terræ adſcriptam, riſu exceptus.

Quòd

Quòd verò aliqui dicunt, *Ignem violenter contineri in Centro, & ideò cùm ſecundùm naturam ſuam petat eſſe ſupra Terram, in ſphæra & loco ſuo; ea ratione mouere Terram:* hoc inquam nihil facit ad rem; Primò enim huiuſmodi motus eſt per accidens, & non determinatus à natura, qualis deberet eſſe motus regulatus in Terra, deindè multa competunt igni Inferorum, quæ non competunt igni Elementari; & inter alia ex ordine diuinæ iuſtitiæ habet, vt contineatur in illo loco in æternum, vbi etiam ad conſeruationem & actiuitatem intendendam, plurimum iuuat frigus Terræ vndiq; circumſtans. Vide S.Thom. *In 4. diſt. 44. art. 2. quæſt. 3. ad 2.*

Dixi poſito etiam quòd Infernus ſit in Centro Terræ. Nam Gregorius *Lib. 4. Dial. cap. 42. De hac re* (inquit) *temerè definire non audeo,* Probabiliorē tamen putat opinionem eorum, qui dicunt eſſe ſub Terra *Quia ſi ideò* (inquit) *dicimus Infernum quòd inferius iacet, quod Terra à Cælo eſt; hoc Infernus debet eſſe ad Terram:* deindè, quod dicitur *Apocal. 5. Nemo poterat aperire librum*, &c. *neque ſubſunt Terram,* *Hoc* (inquit) *refertur ad animas exiſtentes in Inferno.* S.Thom. *In Opuſ. 10. art. 31. Vbi* (inquit) *ſit Infernus, an circa Centrum Terræ, vel circa ſuperficiem, nihil arbitror ad doctrinam fidei pertinere, & ſuperfluum eſt de talibus ſollicitari aſſerendo, vel improbando.* Et *Opuſ. 11. art. 24.* dicit de hac re nihil ſibi videri temerè aſſerēdum, præſertim cùm Auguſtinus neminē arbitretur ſcire vbi ſit, *Non tamen* (inquit) *æſtimo quòd ſit in Centro Terræ:* cuius dicti cùm nonnullas cauſas reddidiſſet, ſubdit demū. *Non autē dicitur Chriſtus deſcendiſſe ad infimas partes Terræ, ſed ad inferiores, ad cuius veritatem ſufficit qualitercunque nobis inferiores videantur.* Et *Art. 25.* ſuppoſito quod Infernus ſit in Cētro, vel circa Cētrū, putat ſciri poſſe diſtantiā à ſuperficie Terræ vſque ad Centrū, non tamē vſque ad Infernum; *Quia* (inquit) *non credo ab homine ſciri poſſe vbi ſit Infernus.*

Ex his tamen nollem à quibuſdam inferri, Infernum eſſe in Terra, ſed ignorari vbi ſit, proindè ignotum etiam eſſe Terræ ſitum, & conſequenter non poſſe conſtitui in Centro Vniuerſi, Alioqui retorquebitur argumentum; ſi enim ignotus eſt Terræ ſitus, non poterit dici eſſe in Orbe magno, vt circum Solem moueatur. Deindè dico, Terram de facto ſciri vbi ſit, idq; oſtendunt tum omnes differentiæ loci, à Cardinibus fixis deſumptæ, tum obſeruationes & menſuræ Geometricæ, etſi neſciantur omnia quæ in ea continentur, & quem locum ſingula particularem & proprium habeant, nam ſi Infernus in Centro vel circa Centrum Terræ ſit, etiam eius locus communis cognitus erit, ſicut Terra ipſa cognita eſt.

Ni-

Nihilominus S. Auguſt. *Lib. 2. de Gen. ad Lit. cap. 34.* Conſtituit Infernum ſub Terris, quem locum citans ipſe *Lib. 2. Retract. cap 24. In duodecimo* (inquit) *libro, de Inferis magis mihi videor dicere debuiſſe, quòd ſub Terris ſint, quàm rationem reddere cur ſub Terris eſſe credantur, ſiue dicantur quaſi ita non ſit.* S. Thom. *In 2. Sent. diſt. 6. art. 3. ad 4.* cùm ex Pythagoræ ſententia dixiſſet locum Ignis eſſe carcerem, quem Ignem ipſe in medio Vniuerſi ponebat; *Hunc nos* (inquit) *dicimus eſſe locum Inferni.* Et *In 4. diſt. 44. art. 3. ad 2. in Arg. Sed contra.* Ex illo *Iſaiæ 14. Infernus ſubtus conturbatus eſt in occurſum tui:* infert, *Ergò ignis Inferni ſub nobis eſt.* Et *diſt. 48. quæſt. 7. art. 3. ad quæſt. 4. Poſt reſurrectionem* (inquit) *quando lux Lunæ augumentabitur ſecundùm rei veritatem, non erit alicubi nox ſuper Terram, ſed ſolùm in Centro Terræ, vbi erit Infernus.* Et *diſt. 50. quæſt. 2. art. 3. ad quæſt. 4. In Terræ* (inquit) *medio vbi Infernus ponitur, non poteſt eſſe niſi Ignis fæculentus, & turbidus.*

Ceterùm quod idem S. Thom. *Opuſ. 10. art. 31.* non arbitratus eſt ad doctrinam fidei pertinere vbi ſit Infernus; intelligendus eſt de loco particulari præcisè; nam alioqui ad doctrinam Fidei pertinet, Chriſtum deſcendiſſe ad Inferos, vel inferiores Terræ partes: ſicut etiam ad doctrinam fidei pertinet, Terram in qua eſt Infernus, in infimo atq; adeò medio Vniuerſi loco eſſe conſtitutam, iuxta ea quæ ſupra paſſim diximus, ſed præſertim *Cap. 7. & 10.* Terram ſcilicet eſſe Centrum mundi probabilius videri eſſe de Fide: Neque hinc ſequitur Deum non poſſe creare plures mundos & plures Terras, vt putant nonnulli, quia omnia ſyſtemata deberent inclinare ad Centrum huius Vniuerſi. In eo enim euentu, quodlibet Syſtema ſeorſim ſubſiſteret iuxta omnes partes, nec vnum inclinaret ad Centrum alterius, etſi partibus eiuſdem ſpeciei conſtarent; tum quia non eſſet maior ratio vnius quàm alterius, tum quia ſicut Deus legem poſuit aquis, ne tranſirent terminos ſuos: Et iuxta Euſtath. *In Hexam. Aetheri Igneo & inceſo præcepit ne totum Terrarum Orbem conſumeret*; ita, & multò magis ſi plures mundi eſſent, ſingulis legem poneret. S. Thom. *1. part. q. 7. art. 3. ad 3.* cùm dixit, *non eſſe poſſibile aliam eſſe Terram quàm iſtam*; locutus eſt non de potentia Logica, *& ſecundùm potentiam Dei actuam*, vt notat Caetanus, ſed ſecundùm potentiam inditam rebus creatis, iuxta præſentem ordinem, ſecundùm quem ita ordinauerat diuina ſapientia, vt hic mundus conſtaret ex tota materia, nec eſſet aliis velut caſu exiſtens, quemadmodum dicebat Democritus, *hunc mundum eſſe concurſu atomorum factum, & infinitos alios.* Hanc eſſe ſententiam S. Thomæ, liquet ex *Corpore Articuli.* Et *ad 3.* vbi

vbi cum hanc aſſignet cauſam impoſsibilitatis, quòd *hic mundus conſtet ex tota materia*, clarum eſt, eum tantummodò loqui de potentia iuxta explicationem Caetani. Et cùm addit, *Quia omnis Terra ferretur naturaliter ad hoc medium vbicunque eſſet*, patet locutum contra ſententiam Democriti, ſi nimirum caſu, & non à ſapientia ordinante conſtitueretur aliud Vniuerſum. Neque huiuſmodi opinio poteſt à quoquam improbari. Et alibi ſatis conſtat de mente S. Thomæ in ſimili, qui alias ſpecies Angelorum non negat creari poſſe (quicquid ſit de indiuiduis) nec quamuis creaturam perfectiorem & perfectiorem in infinitum.

SEXTVM ARGVMENTVM.

IN Cælo ſuper Firmamentum, & infra, ſunt Aquæ. Geneſ. 1. *Ergò & Terræ, cùm Aquæ nonniſi in Terræ ſoliditate contineantur, & conſequenter locus Terræ naturalis, non eſt Centrum, poteritq; extra illud ferri motu circulari in Orbe Magno.*

RESPONDEO. Negari in primis poſſe conſequentiam. Satis enim eſt Firmamentum, vt in eius ſoliditate Aquæ contineantur, neque defluant, cùm Firmamentum iccircò dictum ſit, quòd intranſgreſſibilem terminum aquis ponat, atque adeò firmet; multoq; magis ſi eæ aquæ concretæ ſint, & velut in glaciem vel cryſtallum coactæ, vt ſentiunt ij qui Cælum ſtellatum, Cælum glaciale ſeù Cryſtallinum ponunt, ſiue ex aquis concretum, ſiue ſpeciem aquæ referens, vnde & aqueum vocant. Quamquam ſatiùs ſit fortaſsè, id Firmamento duntaxat tribuere, quod iccircò Euſtathius *In Hexaëm.* diuerſum putat eſſe à primo Cælo, & *ſolidiore natura* præditum, vt immenſam Aquarum vim ſupra & infra abundantem ſeiungeret: loquitur verò de diuerſitate ex accidente, ne ijs quæ paulò ante affirmauit contradicere videatur. *Tenuem*, videlicet, *& non ſolidam, neque craſſam eſſe naturam Cæli*, idq; his verbis Iſaiæ ſignificari, quemadmodùm ipſe legit. *Qui ſtare feciſti Cælum velut fornicem.* Vel alibi, his alijs. *Qui firmaſti Cælum quaſi fumum*, velut ſiccam quandam fluiditatem ab humida diſcernens.

Dixi negari poſſe conſequentiam, quia ſi ibidem admittamus eſſe Terram, ſicut non paucis admittitur Ignis & Aër, non eſt neceſsè eas omnes illi tribuere qualitates, quas habet Terra in Centro poſita: Erit enim Terra quædam Cæleſtis, à fæculentis concretionibus immunis, nec ſuppoſita generationibus rerum, & duntaxat in eum, (ſi

non alium) finem inſtituta, vt Cæli Syſtema perficiat: Quæ ſententia locum habere poteſt apud negantes Cælum eſſe quintam eſſentiam, quamuis & ab ijs tolerari in parte poſſit, qui materiam diuerſi generis Cælis attribuunt, quæ proindè non expleatur eiſdem formis ſpecie cum formis inferiorum, ſed ad ſummum quæ genere conueniant. Sicut autem illi, qui poſuerunt Firmamentum eſſe de natura quatuor Elementorum, non quaſi ex Elementis compoſitum, ſed quaſi Elementum ſimplex, videntur multis non malè ſenſiſſe, ita poſſunt loqui de Aquis ſuper Cælos, & eodem modo de Terra ſuper Cælos aut Firmamentum exiſtente.

Huc poteſt applicari doctrina S. Thomæ 1. *part. quæſt.* 78. *art.* 2. *Si Firmamentum ponatur eſſe de natura quatuor Elementorũ, etiam aquæ poterunt credi eiuſdem naturæ cum aquis Elementaribus; ſi autem non ponantur de natura quatuor Elementorum, neque aquæ erunt de natura elementarium aquarum, ſed dicentur aquæ ſolùm propter diaphaneitatem.* Quæ ſimiliter de Terra ibidem exiſtente dici poſſunt, vt vel eiuſdem ſit naturæ cum elementari & noſtrate; vel diuerſæ, & tantùm dicatur Terra, propter denſitatem & ſoliditatem quatenùs ſuſtinet aquas. Nec obſtat grauitas quo minus ibi ſiſtat, ſed deſcendat, tum quia Firmamentum eſt intranſgreſſibilis terminus, tum quia ſicut Aquæ, etſi naturaliter ſint graues, virtute tamen diuina ſuper Cælos continentur, vt dicit *S. Thom. loco cit. ad* 2. ita de Terra dici poteſt; Vel, ne quæramus, quid Deus miraculosè potiùs faciat, quàm quid naturæ rerum ſecundùm inſtitutionem ſuam poſtulent, quod monent S. Auguſt. 2. *de Gen. ad Lit. Cap.* 1. Et S. Thom. *Opuſc.* 11. *artic.* 24. quemadmodùm iuxta S. Thomam dicendum eſt Aquas circa Cælum eſſe tenues, & non ſpiſſas ſicut circa Terram; ita ſimile quid ponendum eſt de Terra; quamuis iuxta eorum Patrum ſẽtẽtiam quos ſupra *Cap.* 9. adduximus, probabilius ſit nullam ibi eſſe Terram, cùm nullus eius finis in particulari aſsignari queat, cui Firmamentum ipſum non ſufficienter reſpondeat: nec ſunt multiplicanda Syſtemata, quæ plures Terras exigant, quando certum eſt præſentis Vniuerſi ordinem ita eſſe inſtitutum, vt vnum ſit ex multis partibus conſiſtens, cuius infimum locum, Terra velut Centrum in medio poſitum occupet.

Ijs porrò quæ ex S. Thoma hic attulimus, conſona ſunt illa, quæ tradit à Deo docta & illuminata Virgo S. Hildegardis: neque enim verebor pro authore laudare eam feminam, cuius ſcripta Eugenius III. S. Bernardo alijsq; commendantibus laudauit ac probauit, ſed etiam ceteri Summi Pontifices Anaſtaſius IV. Hadrianus IV. Alexander III.

vt

vt patet ex eorum literis ad eam datis, ob ſanctitatem & diuinorum ſecretorum cognitionem, in magna exiſtimatione habuerunt: præterea Imperatores Conradus, & Fridericus, necnon innumeri alij, præſertim Eccleſiaſtici Principes, denique totus Orbis Chriſtianus ea de cauſa ſuſpexit, ſed ſua Germania præcipuè venerata eſt. Ea verò *In Lib. 38. Quæſtionum*, quas VVibertus Monachus Gemblacenſis ſcripto propoſuerat, ſic reſpondet ad *Quæſt.* 2. qua quærebatur. *Quid eſt quod ſcriptum eſt, Diuiſit Deus aquas quæ erant ſub Firmamento, ab his quæ erant ſuper Firmamentum: nunquid credendum eſt materiales aquas ſuper Firmamentum eſſe?* Sic inquam reſpondet. *Deus aquas quæ ſuper Firmamentum erant, diuiſit, vt ſicut inferiores aquæ terrenis conſtitutionibus adſunt, ita etiam & ſuperiores aquæ ſuperioribus conſtitutionibus adeſſent. In aquis enim ſuperioribus nihil eſt, quod creſcat aut deficiat, ſicut in inferioribus aquis, in quibus quicquid viuit, hoc, quemadmodùm homo creſcit & deficit. Sed illæ ſuperiores aquæ in primo ſtatu ſuo, ſicut Deus eas conſtituit perſiſtunt, & in Circulo ſuo fluunt, & materiales ſunt; non tamen vt aquæ inferiores, quoniam multò ſubtiliores, & noſtris viſibus omninò inuiſibiles exiſtunt; quarum humiditate & ignis ibi extantis calore, deſuper Firmamentum ſolidatur, velut corpus per animam ſubſiſtit ne diſſoluatur. Aquæ verò inferiores iſtæ de ſub Firmamento, groſſiores, ſpeculum ſunt Cæleſtium Luminarium, Solis ſcilicet, Lunæ, & Stellarum, quia inferiora diuerſarum ſpecierum animalia continent, quæ in eis naſcuntur & ſubſiſtunt, ideòq; officia ſuperiorum, & inferiorum aquarum in cunctis diſsimilia ſunt.*

Hæc Hildegardis: in quibus & Circularem motum Cæli, cum Aquis ſuper Firmamentum exiſtentibus, abſque defluxu in inferiora, & tenuitatem illarum inſinuat, vt hac inter alias qualitate differant ab Aquis circa Terram manentibus. In eo verò quòd humiditate aquarum illarum, & Ignis ibi extantis calore ſuperum Firmamentum ſolidari ait, & liquidum eſſe Cælum iuxta veterum, & recentiorum hodie communem opinionem oſtendit, & præterea ſenſum eius lectionis, quam ex Euſtathio paulò ſupra attulimus. *Qui firmaſti Cælum velut fumum*, clariùs explicat, eius ſcilicet firmitatis fumo comparatæ, ex humiditate & calore ignis, cauſam reddens. Atque hos authores, nempè Euſtathium Antiochenum, Iſaac Syrum, Alexandrum Lycopolitam, Hildegarden, pro hac ſententia eo libentiùs afferimus, quòd Chriſtophoro Scheinero in ſua Roſa Vrſina, partim non occurrerunt, partim non ſunt viſi, ex quo nihilominus plurima, quæ hic deſiderantur abundè peti poſſunt.

CETERVM, ſimile quoddam adduxit argumentum Auerroes contra Eccentricos & Epicyclos, *Si dentur Eccentrici, omnes mouebuntur circa proprium Centrum, ſed in omni Centro circa quod ſit motus Cæli, eſt Terra quieſcens, cùm omne id quod mouetur indigeat quieſcente; quare quot erunt Eccentrici & Epycicli, tot erunt Terræ quieſcentes.* Sed parùm Philoſophicè; Vt enim mittam Eccentricos ratione totius Orbis habere idem Centrum, & Epicyclis ſeorſim ſumptis ſufficere punctum medium, ſicut etiam Soli, & fortaſsè etiam alijs Planetis, ſi in ſeipſas conuertantur, quæ tamen omnia ratione totius mouentur circa Terram; Vt inquam hæc mittam, falſum eſt neceſſariam eſſe Terram quieſcẽtem in quolibet Centro, vt circa eam Cæleſtes Orbes moueantur; licet enim Terra de medio tolleretur, adhuc Cæli mouerentur circa medium Mundi, ſicut & Eccentrici, & Epicycli motu ſuo peculiari, circa medium ſibi correſpondens, quodcunque tandem illud eſſet futurum, ſiue corpus aliud, aqua nimirum vel aër, rarefacta, ſiue punctum in vacuo imaginarium.

Quod itaque dicitur, *Omne quod mouetur indiget ſuo quieſcente*, præcipuè intelligitur in corporibus, quoties aliquid aut actu mouet efficienter, aut ita requiritur ad motum, vt ſine illo fieri nèqueat. In hoc ſenſu dixit Claudius Mamert. *Lib.* 1. *de Statu Animæ, Cap.* 18. nihil moueri poſſe niſi ab immoto, nec enim digitus mouetur niſi ſtante manu, nec brachium niſi immoto humero, nec denique gradiendo, pes alter niſi altero fixo promoueri poteſt. In motu autem circulari non eſt neceſsè, vt id quod quieſcit concurrat efficienter, ſed duntaxat vt circa illud fiat motus velut innixu quodam, ideòq; in medio ſiſtat & non extra illud. Quod medium comparatur quodammodò pedi fixo, & tanquam parti infimæ Vniuerſi, cui ceterarum partium motus innititur. Quare ſi vllus alius motus Circularis requirit medium quieſcens, maximè reuolutio Cæli circa Terram.

Simile quoque ferè eſt Argumẽtum Copernici. *Lib.* 1. *Reuol. Cap.* 10. Terra non poteſt eſſe Centrum, vel in Centro, loquendo reſpectu Vniuerſi, Vniuerſum enim ſi ſit infinitum, nullum habebit punctum medium, à quo ad peripheriam lineæ ducantur æquales; ſi finitum, medium erit punctum indiuiſibile & imaginarium, quale non eſt Terra, vtpote corpus ingens & vaſtum. Si ſermo ſit habita ratione partium Vniuerſi, Planetæ in primis ſunt Eccentrici, proinde non habent Terram pro Centro, ſed ſinguli habent proprium Centrum, ſicut & ceteræ partes Vniuerſi, ad quod ſolùm inclinant, & non ad Centrum Vniuerſi.

Sed enim eſt debile Argumentum, & quatenùs arguit ex paſsioni-

bus

bus Finiti ad Infinitum, eſt etiam Sophiſticum (vt alibi oſtendimus) velut ſi quis ex humano corpore argumentetur ad Angelicam ſubſtantiam, aut ex figura ſphærica & circulari concludat Mundum eſſe infinitum, non habens principium & finem. Quam philoſophiam ex paralogiſmis Geometricis, præclarè irridet Zacharias Mithylenen. *In Lib. de Mundi Creat. contra Philoſophos*. At conceſſa veritate, Vniuerſum videlicet eſſe finitum & ſphæricum, non neceſſariò ſequitur Medium eſſe imaginarium & indiuiſibile, neque enim hic ſermo eſt de medio Mathematico, & corporis abſtrahentis à motu & loco, ſed de medio reali, phyſico & locabili, quod in conſtitutione Vniuerſi corporei, eſt corpus Phyſicum ac trinè dimenſum, etſi reſpectu Cæleſtium Orbium ſit minimum, eiuſmodi tamen, cui motus Vniuerſi quodammodò innitatur. Quamquam ſi vel Mathematicè concipiatur inſtar puncti, illicò ſecum trahit immobilitatem, non modò quia Matheſis abſtrahit à motu, ſed quia indiuiſibile moueri niſi per accidens non poteſt. Et vt ſemel dicam, ex Mathematicis ducta argumēta ad phyſicas conſiderationes, ſæpè incautos paralogizare cogunt; & alioqui eodem medio quo Theodoſius *Lib.* 1. *Sphæric. Propoſ.* 3. & alij ex ipſo, oſtendunt à Sphæra quieſcente non tangi planum niſi in puncto, demonſtrari poteſt idem etiam euenire in motu, & conſequenter indiuiſibilia componere quantitatem. Mirum de cetero eſt Copernicanos non animaduertere, idem ferè Argumentum per omnia fieri poſſe, ſi Solem ſtatuamus Centrum Vniuerſi.

Quod attinet ad partes Vniuerſi, Etſi vnumquodque corpus ſingulatim conſideratum habeat ſuum Centrum, ad quod reliquæ partes inclinant, velut cùm aquæ guttæ conglobantur, & quodlibet Elementum ad ſuum locum natura fertur; quatenùs tamen eſt pars Vniuerſi, Centrum habet commune cum Vniuerſo, quod eſt Terra, & à ſuis partibus ea ratione, vt ſic dicam integratur, vt ipſum ad integrandum Vniuerſum, harmonicè ſecundùm ſitùm & ordinem aliaq; id genus, concurrat. Quare Planetarum motus in Eccentrico aut Epicyclo non facit, quin vt diximus ſupra *Cap.* 10. ratione totius Orbis, habeat idem commune Centrum, id eſt Terram: Ad Elementa verò ita ſe habet Terra, vt cùm omnibus grauitate præponderet, omnibus etiam per ſe loquendo ſubſideat, nec id quiſpiam facilè negarit, quando manifeſtum eſt, in corporibus ſphæricè diſpoſitis, & alterno ambitu ſe complectentibus, quod grauiſſimum eſt, neceſſariò etiam eſſe Medium ceterorum, ex ea diſpoſitione Vniuerſum conſtituentium. Vt mittam vel ex ſententia Pythagoræorum recentium, omnium Elementorum aptiſſimā eſſe Terram ad quieſcendum in medio, tanquam

Omni

omni calore, qui cauſa eſt motus, carentem, atque adeò Elementum ſummè frigidum. Nec ſatis eſt dicere eam extra ſuum locum moueri quidem motu recto deorſum, in proprio tamen loco moueri circulariter, & circa ſuum Centrum, idq; motu naturali, etſi alioqui quieſcat quiete oppoſita motui recto deorſum. Terra enim cùm ſit Corpus ſimplex, vnam exercet operationem & motum ſimpliciſſimum, non plures, neque enim hos motus habet à generante, quia tota non generatur; neque à remouente prohibens, quia id euenit in detentis extra proprium locum; habebit igitur à ſeipſa, & iccircò diſtinguenda erunt pars mouens & pars mota: & quidem pars mouens, à qua Terra in hanc potiùs quàm in alteram, immò in plures partes inuicem oppoſitas moueatur, quemadmodùm volunt Copernicani ratione motus diurni & annui; quod quo pacto fieri poſſit, vel ſi Terra anima rationali prædita eſſe impiè dicatur, intelligi nequaquam poteſt.

Quòd verò non nemo ſe tueatur illo dicto *Sapient. Cap.*19 *In ſe Elementa dum conuertuntur, ſicut in Organo qualitatis ſonus immutatur:* perperam facit; neque enim eo loco ſermo eſt de circumuolutione, ſed quemadmodùm ex Græco textu liquet, de apta Elementorum inter ſeipſa, & velut harmonica tranſpoſitione, quatenùs ita ſunt conglutinata inuicem ac diſpoſita, vt nihilominus tranſmutatione & conuerſione, ſicut in Organo ſiue Pſalterio, ſoni, concentus & modulationis nomen permutant, ſemper tamen harmoniam aliquam obtinent; ita Elementa ſitum & ordinem ſeruant, & nihilominus aliqua ratione inter ſeipſa tranſmutantur: Vel ſi de vero ſono accipiendum eſt, quod nonnulli videntur colligere ex textu Græco variè lecto, non iam id intelligendum eſt de Terra tanquam mota, ſed de ſuperiore Æthere, vt præclarè dicit illuminata Virgo S. Hildegardis *In Lib.*38. *Quæſtionum*, *Quæſt.*27. quanquam eius dicta iuxta ea, quæ ſupra *Cap.* 4. attulimus etiam de ſono metaphorico intelligi queant, hoc eſt, de concordia Elementorum velut harmonica, ratione ordinis, ſitus & aliorum, quæ in ſua Conſtitutione acceperunt.

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

HAEC opinio de Terræ motu, & quiete Solis in Centro eſt antiquiſſima, nec à Pythagora primùm, ſed à Moyſe tradita à quo Pythagoras genere Iudæus accepit. Eandem ſecuti ſunt doctiſſimi non Gentiles ſolùm, ſed Chriſtiani, & inter alios Cardinalis Cuſanus, alijq; ante Copernicum, poſt quos Copernicus ipſe, eandem

ita

ita reſtaurauit, vt penè author haberi poſſit. Huius libri à Paulo III. cui dicarat, approbati, iuſſi etiam ſunt imprimi magno Catholicæ rei bono, quòd ex calculo Copernicano, qui Syſtemate Pythagorico nititur, tanquam maximè certo, & Calendarium Gregorianum ſit concinnatum, & Ephemerides hodièq; omnium exactiſſimæ conſtruantur; vt non poſſint non eſſe veræ ſuppoſitiones de Terræ motu & quiete Solis, ex quibus tam euidentes veritates deducuntur, Verum enim non ſequitur niſi ex Vero; vt non immeritò poſt Copernicum tot Viri præſtantiſſimi in dies abeant, quos omnes aut erroris aut temeritatis arguere difficilè eſt. Ergò, &c.

RESPONDEO. Nec propter antiquitatem probari opiniones, ſed propter Veritatem; nec damnari propter nouitatem, ſed propter falſitatem. Antiqua eſt opinio Platonis, Angelos eſſe corporeos; Anaxagoræ, Solem eſſe lapidem ardentem; Eorum, qui Solem carcerem eſſe dixerunt cuiuſdam animæ peccantis, & incluſæ corpori Solis; denique ne in infinitum abeamus, Manichæorum, qui Solem & Lunam naues eſſe dixerunt, purgandis mundi inquinamentis deſtinatas: de quibus vide S. Auguſt. *Epiſt.* 119. *ad Ianuar.* Et *Lib. de Hæreſib. ad Quod vult Deum, Lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 24. Et *Lib.* 20. *cap.* 16. Et tamen hæ omnes opiniones, aliæq; id genus innumeræ, falſæ ſunt, & reprobatæ.

Quòd hæc opinio primùm tradita ſit à Moyſe, eſt ex illo genere impoſturæ, quo non pauci vanas & nugaces adinuentiones ſuas Salomoni quoque aſcribunt, & S. Scripturæ verbis, & ſententijs perſæpè ad nefaria quæque abutuntur. Quamquam alioqui nulla hæreſis ſit, quæ ſe non tueatur S. Scriptura perperam intellecta & deprauata. Interim, tàm eſt certum, Moyſen huius doctrinæ eſſe authorem, quàm quod falſiſſimum & contra Scripturam; etiam in ijs, quæ Moyſes ſcripſit in Capite primo Geneſis, vt ſupra paſsim oſtendimus. Pythagoras pòrrò Iudæus genere fuerit an Gentilis, parum refert, num iccircò illi cum Carpocratis Marcellina thus adolendum? Et notum eſt, non paucos Philoſophos antiquos, Moyſen lectitaſſe, nec intellexiſſe, pleraq; corrupiſſe, in ſuas fabulas tranſtuliſſe.

Fateor verò non paucos eſſe huius opinionis ſequaces, præſertim à Copernico; plures tamen eſſe conſtat exceptione maiores, qui commune Syſtema amplectuntur, Copernicanum inſuper habent, cum quibus cęteros nec genere nec numero comparaueris. Et hi quidem Aſtronomiæ perficiendæ cauſa prudenter & ſobriè laborant, quos

etiam

etiam illi ſanctè imitentur, ſi Syſtema ſuum non aſtruant tanquam natura certum, ſed cùm norint non eſſe S. Scripturæ, & Sanctis Patribus conſentaneum, hypotheticè tantum id aſſumant, & in calculis progrediantur, & hoc ſolum ſibi licere cogitent; quamquam longè melius facturos arbitramur, ſi retenta veritate, alia via & ratione inita, & ſuo labori, & Matheſeos perfectioni, & Chriſtianæ Reipublicæ vtilitati conſulere ſtudeant, quò in ſacras literas non offendant. *Tantam* (inquit Author Friſicarum tabularum, pag. 318.) *apud nos eſſe teſtamur authoritatem S. Scripturæ, tantùmq; eius reuerentia moueri animum noſtrum, vt contra apertam ſententiam illius, in ſententiam Pythagoræorum deſcendere non audeamus.*

Fuiſſe approbatam à Paulo III. Copernici opinionem, temerè dicitur; probatum Viri ingenium à pleriſq; & laudatum in putationibus laborem non diffiteor, quoad ea, quibus Matheſi, & Temporum directioni haud parùm profuit; magis laudandum, ſi abſque abſoluta ſui Syſtematis atque theſium aſſertione, quemadmodùm potuit, præſtitiſſet. Et quamuis ob dictam cauſam accepta Pontifici eiuſdem opera, imprimi primùm, deindè ab alijs iterum iterumq; recudi iuberentur an permitterentur, nunquam tamen creditum affirmatumue, nihil in eis contra Catholicam ſententiam contineri. Quin verò ne inde alij in errores mitterentur, animaduerſione S. Congregationis Indicis cautum non nuper eſt. Ea eſt huiuſmodi. *Quamquam Scripta Nicolai Copernici nobilis Aſtrologi, de Mundi reuolutionibus, prorsùs prohibenda eſſe PP. S. Congregationis Indicis cenſuerunt, ea ratione, quia principia de ſitu & motu terreſtris globi, S. Scripturæ, eiusq; veræ & Catholicæ interpretationi repugnantia (quod in homine Chriſtiano minimè tolerandum eſt) non per hypotheſim tractare, ſed vt veriſsima adſtruere non dubitat. Nihilominus quia in ijs multa ſunt Reipub. vtiliſsima, vnanimi conſenſu in eam iuerunt ſententiam, vt Copernici opera, ad hanc vſque diem impreſſa, permittenda eſſent, prout permiſerunt, ijs tamen correctis iuxta ſubiectam emendationem locis, in quibus non ex hypotheſi, ſed aſſerendo de motu & ſitu Terræ, diſputat. Qui verò deinceps imprimendi erunt, non niſi prædictis locis vt ſequitur emendatis, & huiuſmodi correctione præfixa Copernici præfationi permittũtur.* Hęc S. Congregatio.

In Calendario Gregoriano calculus Copernici non eatenùs fuit adhibitus, vt negligerentur putationes antiquiores. Aloyſius Lilius primus optimam Calendarij emendandi formam propoſuit, ſed ex Alphonſi ratione, quantitatem anni definiens, quòd hæc media eſſet, ideòq; certior, aut minus erroribus expoſita; Iuxta hanc, ita cogitauit

tauit intercalationes diſpenſare, vt æquinoctia perpetuò fixas & certas haberent ſedes. Quod ſi eo in humanis deſiderato, alij fuerunt Copernici calculos etiam adhibentes, id videntur præſtitiſſe, quod hodie Ephemeridum conditores, qui omnium calculis examinatis, eam rationem vſui ſuo accomodant, quę proximè ad rem videtur proficere. Ex his porrò non magis licet inferre, Copernici poſitiones de motu Terræ eſſe veras, quàm aliorum id negantium hypotheſes, ex quibus eadem ſequitur ratio, etſi diuerſis putata vijs, quemadmodùm interdum vna concluſio pluribus Syllogiſmis deducitur. Certè Clauius, qui ceteris vita functis, poſtremus Calendarium Gregorianum perfecit & edidit, Syſtemati Copernicano tantum tribuit, vt id non ſemel S.Scripturæ aduerſari fateretur, interdum verò diuerſam illam Terræ conuerſionem, qualem authores ſui fingunt, à ſe non percipi liberè profeſſus ſit.

Quod ſpectat ad Ephemerides; placuere harum fabris Copernici calculationes, quatenùs is, aliorum viſis erroribus ſuas Tabulas correctiores dedit, neque tamen abſolutas. Itaque nec ipſæ ſufficiunt ad integras Ephemerides condendas, & deficiunt in multis, quæ poſtmodùm recentiores, ſed in primis Tycho Brahe, emendari conati ſunt. Immò non contenti calculo, nedum Syſtemate Copernici, & vltro perſiſtentes in fundamentis Ptolemæi, Terra immota, aut Syſtema verſum correxerunt, aut calculum, nouumq; putandi modum, cùm nouis Theorijs inuenerunt. Certè hypotheſes Lunæ Tychonianæ, etſi partim è Ptolemæo, partim è Copernico ſint depromptæ, nouis tamen acceſſionibus ita ſunt auctæ, vt inuentione ſua ſint planè inſignes; & certiores, futuræ quoque faciliores, ſi vita hominis longior indulſiſſet. Sed neque Mathematici recentiores, ita vtuntur calculis Copernicanis, vt eis Tychonianas poſtponant; ſanè ex huius Tabulis hoc ſeculo omnium exactiſſimè ſupputantur, Solis & Lunæ motus, tum Syzygiarum & Eclipſium momenta quęque, vt non pauci ex eiuſdem fundamentis, Tabulas Lunæ Solares condãt faciles, & ſimplici methodo, Ptolemaicæ perſimiles, vnica anomalia contentas, etſi differentia intercedat in tempore proſthaphæretico, ad momenta horarum rigidè examinato. Operoſiores ſunt Tabulæ Copernici ob duplicem anomaliam, apogæi nimirum, ſeù eccentricatis, & medij motus, vt nil dicam de multiplicibus Solis proſthaphæreſibus.

Iam ſi cętera ſpectentur, non ita præferendæ videbuntur rationes Copernici, quin aliorum putationes æquè valeant: In ſubigenda ſiquidem vera Syzygia, Ptolemæus, Alphonſus, Copernicus, ferè ſunt pares, Tycho ſuperior. Sic in motu Solis, Alphonſus, Copernicus,

& Tycho, non multum differunt, ijdem tamen in conſtituenda Solaris anni quantitate euariant; non ſecus in Æquinoctiorum interuallo, in eorundem proſthaphæreſibus, denique in Medio interdum motu; eluctantur tamen ſuis rationibus eatenùs, vt illi quidem propiùs ad Cælum quàm Ptolemæus accedant, ſed Tychonis labor cum Cælo prorsùs congruere exiſtimetur. Quare non rectè quidam opinantur, Mathematicos recentiores, non alijs certioribus vti, quàm Copernici calculis & argumentis. Mitto Maginum, Mitto Keplerum, quorum ſubductiones, aliquid etiam certius tentaſſe exiſtimantur.

Quod poſtremò dicebatur, *Verum non ſequi niſi ex Vero*; ſi id intelligatur reſpectu hypotheſium Copernici duntaxat, paralogiſmus eſt. Neque enim minus ratæ ſunt cauſæ Phænomenum ex poſitione Eccentricorum & Epicyclorum, quàm ſi fingatur Terra moueri, Sol in Centro fixus eſſe, idq; iam à multis ſeculis eſt exploratum; vt hodie non certiùs venemur Eclipſes, & alias phaſes & apparitiones, quàm olim venabantur Alphonſus, Ptolemæus, & alij ſuperiores; ex quorum poſitionibus ducti numeri nonnulli, ſi hoc ſeculo non ad aginam reſpondent, non ipſis poſitionibus, ſed nunquam ſatis cognito cæleſtium corporum motui, eſt adſcribēdum; Quis enim rectè vnquam deduxit præceſſionē Æquinoctiorū? quis mortaliū vel vnius Planetæ periodum ſine errore determinauit, vt iccircò ſingulis ſeculis plures ſint cudendæ Tabulæ, quæ Ciuilem duntaxat, ſed inter Mathematicos habeant certitudinem, & verum ſit illud *Eccl*. 3. ***Et mundum tradidit diſputationi eorum***. Iam ſi Copernici poſitiones aptari poſſunt futuris temporibus, multò certiùs & Ptolemæi, & Alphonſi, & aliorum, qui ex aſſertis Eccentricis & Epicyclis, per multa ſecula, ita omnia phænomena ſaluarunt, ſaluabuntq; in poſterum, vt hanc ob cauſam, alia argumenta non ſint excogitatu neceſſaria, quibus Syſtema Vniuerſi perturbetur; quæ præſertim nec Philoſophiæ veræ, nec S. Scripturæ ſunt conformia.

Si porrò eadem propoſitio, *Verum non ſequitur niſi ex Vero*, ita attribuitur poſitioni Copernici, tanquam vnica ſit cauſa veræ demonſtrationis, ſimilis eſt paralogiſmus; Nam & ex ceteris eadem ſequitur concluſio vera, facilisq; ductu, nullis vt incommodis laboret, quæ expediri nequeant; cùm interea Copernici hypotheſes, pluribus & maximis implicentur difficultatibus, quamquàm ad Sacram Scripturam à qua deficiunt, non expendantur: quod oſtendere alterius erit loci. Hic interim aduerto, cauſas phænomenum phyſicas, non eſſe has vel illas poſitiones, ſed hos vel illos motus ſyderum, & periodos, quæ multis experiētijs obſeruatæ, eiuſmodi poſitionibus ſūt

ſub-

ſubactæ, vt ex illis ratio motuum conſtaret. Ita planè, quòd hæc vel illa paſſio inſit rei ſubiectæ, non eſt cauſa hic vel iſte Syllogiſmus, cum hac vel illa terminorum,& præmiſſarum diſpoſitione, ſed natura huius & illius rei, cui, vt conuenire talis affectio cognoſcatur, inſeruit eiuſmodi diſpoſitio, ex qua concluſio efficiatur, prædicatum ſubiecto conuenire manifeſtans. Ex quo fit, vt idem, diuerſis Syllogiſmis concludatur, ſi tanquam certæ apprehendantur; etſi reipſa falſæ ſint ſuppoſitiones terminorum; velut ſi quis certò putet, Omnem lapidem ſentire, & omnem hominem lapidem eſſe: Item omnem plantam ſentire, & omnem hominem eſſe plantam; ex vtraque diſpoſitione, perindè & peræquè veram inferet concluſionem, omnem videlicet hominem ſentire; & tamen principia ex quibus eam deducit falſa ſunt. Haud ſecus in re noſtra, æquè ex Syſtematibus Ptolemæi & Copernici concludas, phænomenum euentus hoc vel illo modo & momento præſtandos, & tamen vtrunque Syſtema eſt falſum & imaginarium, vt iccircò plures in dies poſitiones inueniri queant. Nam & Ptolemæus eodem modo reddit cauſam Phænomenum in Sole per Epicyclum, atque ſine Epicyclo; & plures alij quaſdam ſyderum affectiones apparentes, per motum trepidationis, alij alias per retardationem, &c. Sic longitudines & latitudines, ſi ab alijs terminis ſumantur, aliæq; poſitiones à Coſmographis ſtatuantur, æquè certæ elicientur concluſiones, atque iuxta ordinem vulgò vſitatum: quod ipſum dico ſi quis Centrum in polis imaginetur, & circulos maiores alio ordine diſponat; ſi denique punctorum fixorum & Cardinum, locumq; differentias, alia atque alia imaginatione diſpenſet, quæ tamen omnia reipſa falſa erunt, ac duntaxat ratione ſupputationis ad huiuſmodi poſitiones accommodatæ verificabuntur. Quemadmodùm enim certum eſt apud Dialecticos, ex Vero ceteris paribus nunquam ſequi falſum, ſed sẽper Verum, intuitu materiæ & conſequentis; ita conſtat, *ex Falſo, & Falſum & Verum ſequi* ratione conſequentię, & diſpoſitionis, vt patet in prædictis Argumentis.

Atque hæc de Argumentis quæ ferè in loco verſari ſolent. Quibus profligatis, eò demum lubricè confugiunt haud pauci aduerſæ opinionis Patroni, vt Terram moueri, & Solem ſtare verum eſſe affirment, *ſecundùm Philoſophiam* (vt ipſi aiunt) *quicquid ſit ſecundùm Theologiam*; quam verò Philoſophiam Deus bone? Scilicet hac ingenioſa diſtinctione, ſe rem totam confeciſſe arbitrantur, non intelligentes nihil eſſe Verum ſecundùm Philoſophiam, niſi etiam ſit verum ſecundùm Theologiam, *Verum enim non contradicit Vero*, quemadmodùm dicitur, *In Decr. Concil. Lateran. Seſſ.* 8. quando omnis creata

Veritas eſt participatio quædam æternę Veritatis, in qua non eſt confuſio, neque falſitas, *Tenebræ non ſunt vllæ*. Et rectè ibidem dicitur, huiuſmodi diſtinctio eſſe *temerè philoſophantium*, & vno verbo, *peſtis* appellatur, quam ex inſcitia natam, meritò quis affirmarit. Vt proindè ſicut in eodem Decreto rectè præcipitur ijs, qui in Sacris ſunt conſtituti, aut à Iure ad ea arctantur, ne *Philoſophiæ aut Poëſis ſtudijs, ſine aliquo ſtudio Theologiæ aut Iuris Canonici* dent operam, *vnde infectas Philoſophiæ, & Poëſis radices purgare, ac ſanare valeant*; ita vniuerſim omnibus præcipi iure queat, huiuſcemodi Matheſin aut non eſſe tractandam, aut non niſi ab ijs, qui veræ Philoſophiæ, aut Theologiæ ſunt periti, ne ex earum ignoratione paralogizare contingat, & in plurimos errores incidere. Et alioqui tutius eſt abſtinere, quàm falli, aut fallere.

Sed poſtremò aduertendum eſt, falsò quoſdam conqueri, niſi liceat inſiſtere Syſtemati Copernicano, præcludi omnem viam ſpeculationis ad Matheſim perficiendam. Antequam enim Copernicus illuxiſſet, Pythagoræorum Philoſophia pluribus erat perſpecta, neque tamen in Scholas inducta, ſiue quòd naturæ eſſet aduerſa, ſiue Fidei diuinæ; nec tamen defuerunt omni ſeculo, qui glorioſis laboribus ſuis, ipſis ſyderibus lucem afferent, etſi non in omnes difficultates radiantem: quibus tamen neque Copernicus ita conſuluit, vt non interdum in noctem præcipitarit. Licebit proindè nouis Theorijs ingenia exerceri, vt quàm proximè abſint à veritate, ſi pertingere nequeunt ad exactam ſcientiæ integritatem, neque tamen tranſiliendi termini, vnde ad abſurda & pietati Chriſtianę minimè cōformia pręcepta deerretur. Alioqui nunquam magis docta fuerit Philoſophia, quàm cùm apparētibus rationibus errores tueri glorioſū cenſebitur; vt iam tres in vnoquoque homine animas ſubſtantialiter diſtinctas; vnam in omnibus eſſe animam rationalem informantem, eandemque in ſingulis mortalem, Angelos item eſſe corporeos; alios in Sole & Luna exiſtere Mundos, aliasq; creaturas ratione & humanitate præditas, & ſexcenta alia monſtra iterum excitata, in Scholas inducamus, & obfirmatis ſpeculationibus defendamus; quādo multa huiuſcemodi, ſecluſa Fide, philoſophicè diſputari, & quadam ſimilitudine veri, non vno diſcurſu probari poſſunt. Ceterùm non deſunt inſignes in omni diſciplinarum genere difficultates, quæ præclara quæuis ingenia publico bono & ad Creatoris gloriam, in certamen vocent, nec erit neceſſarium, dum à S. Scriptura, genuinaq; eius, & Catholica interpretatione minimè diſcedas, in huius aut illius Magiſtri verba iurare: ne quiſpiam ſit fortaſsè meticuloſus, qui ſe flagris in ſententiam Ariſtotelis,

&

& D. Thomæ cogi conqueratur; ipſe interim, vt cum Tatiano (*Orat. contr. Gen.*) loquar, *aniles Phærecidis fabulas, & Pythagoræorum dogmatum hæreditariam ſucceſsionem, & Platonicam illius imitationem ſecutus*, & cùm nulli velit eſſe addictus, ab Ariſtotele verò etiam longè poſitus, Pyrrhonius, vagus, & nullus ſit Philoſophus.

HÆC modò pro inſtituto Theologico, & breuitate Tractationis, ſatis eſſe remur, dum alij pro ſyſtemate vſitato Mathematicè velitantur, relicturi nihilominus & nobis Prouinciæ partem, poſt implendam. In his porrò ob oculos verſabatur illud S. Thomæ, *Opuſc.* 10. *in principio. Tutius videri quæ Philoſophi communes ſenſerunt, & noſtræ fidei non repugnant, neque ſic eſſe aſſerenda, vt dogmata fidei, neque ſic neganda tanquam contraria, ne ſapientibus huius mundi, contemnendi doctrinæ fidei occaſio præbeatur*: In quorum altero ſapientum præiudicio omnia concedimus, in altero religioni deferendum cenſuimus; vt quam de Terræ motu & Solis in Centro Statione ſententiam, Philoſophi quidam communes an Pythagoræi, ſed Chriſtiani, ſunt amplexi, Fidei Scripturarum eſſe contrariam oſtenderemus: cùm præſertim non deeſſent inter iſtos, quibus ex parte opponi poſſet grauis illa S. Auguſtini *Lib.* 5. *Confeſſ. cap.* 5. de Fauſto Manichæo cenſura, *Cùm de Cælo ac Stellis, & de Solis & Lunæ motibus, falſa dixiſſe deprehenderetur, quamuis ad doctrinam religionis iſta non pertineant, tamen auſus eius ſacrilegos fuiſſe, ſatis emineret, cùm ea non ſolùm ignorata, ſed etiam falſa, vel falſata tam veſana ſuperbiæ vanitate diceret, vt ea tanquam diuinæ perſonæ tribuere ſibi niteretur*: Sic enimuerò non nemo ex iſtis, cùm in tuendo Syſtemate Copernicano, nec paucis, nec vulgi erroribus hallucinetur, ita nihilominus ſeipſum effert, nihil vt humani ſapiens, diuinitùs ſibi pleraq; reuelata glorietur.

Quare & noſtrarum partium fuit, cùm hanc de Terræ Statione & Solis motu tractationem, hoc tempore ad pietatis & fidei doctrinam pertinere arbitraremur, vt quæ piè & Catholicè ſentiremus, apertè affirmare, & ſcripto tradere auderemus; alioqui religioni obnoxij, ſi calamo fauiſſemus. In quibus tamen ita ſententiam noſtram iudicio Sapientum attemperamus, ac in primis S. Matris Eccleſiæ Romanæ cenſuræ ſubmittimus, vt nihil dictum aſſertumue, quod eidem dicendum aſſerendumue non videatur, velimus, memores conſilij S. Auguſtini *Lib.* 2. *de Gen. ad Lit. cap.* 18. *Ne non tàm pro ſententia diuinarum Scripturarum, quàm pro noſtra dimicantes, eam velimus Scripturarum eſſe quæ noſtra eſt, cùm potius eam quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.*

LAVS DEO.

ERRATA.

Pag.	7	Lin.	11	iuxta	circa
	21		7	Theodorus	Theodoretus
	40		7	Lycopolyta	Lycopolita.
	40		14	ſtabilita	ſubtilia
	57		21	exiſttant	exiſtant
	79		17	ſubſunt	ſubtus
	80		32	q. 7.	q. 47.

INDEX RERVM

Iuxta Paginas.

A

AEr in Cælo qualis. pag. 81. 82.
Aeneæ Muſcæ ludus. 66.
Aequiuocatio ſenſus Literalis. 24.
Aeternum quomodò accipiatur in Scriptura. 27. 28.
Aether cur dicitur Syderea plaga. pag. 77.
Aetheri igneo terminus poſitus. pag. 80.
Annis 36000. redire eoſdem effectus, error. 37.
Aquæ cur tributa figura Icoſaëdron. 10.
Aquæ ſuperiores in Circulo fluunt. 83.
Continẽtur à Firmamẽto. Ibid.
Inferiores Solis, & Lunæ ſpeculum. Ibid.
Archimedes Mundum pede moturus. 77.
Argumenta à Mathematicis ad Phyſica, ſæpè paralogiſtica. 85.
Argumentum ex finito ad infinitum, Sophiſticum. Ibid.
Auerrois Argumentum contra Eccentricos & Epicyclos. 85.

C

CAlendarij emendãdi rationẽ, quis primus propoſuit. 88. 89.
Qui poſtremus perfecit. Ibid.
Cæli altitudo non poteſt inueſtigari. 17.
Cæli firmitas non opponitur motui. 74.
Cælum liquidum. 64. 74. 81.
Quomodò dicatur ſolidum, & quaſi ære fuſum. 74.
Firmatum ſicut fumus. 81.
Cælum Empyreum immobile. pag. 16. 43. 64.
Cælum qui putarunt non eſſe Sphæricum. 45. 41.
Eſſe Sphæricum olim non fuit demonſtratum. 6.
Sphæricum eſſe probabilius eſt eſſe de Fide. 41. 42.
Cælum an totũ moueatur. 42. 64.
Affirmatiua videtur, eſſe de Fide. 44.
Mouetur Circulariter. 33.
Cum eo moueri etiam Sydera eſt ſecundùm Scripturam. 74.
Cælo immoto Syderibus motis ſaluantur Phænomena. 43.
Cælum eſſe & non moueri quomodò contradicant. 75.
Cælum ex qua materia putarunt quidam cõſtare. 74.
Centrum ſtabilitatẽ ſignificat. 9.
An Circulo antiquius. 43.
Centrum Vniuerſi datur præter cætera corporũ particulariũ. 85.

Non

Non neceſſariò eſt indiuiſibile. Ibid.
Harmonicè integrat Vniuerſum. Ibid.
Etiam Mathematicè conſideratum eſt immobile. Ibid.
Copernicanæ putationes quomodò in Scholis tradendæ. 58.
Cur à multis adbibitæ. 89.
Non magis veræ, quàm ex aliorum Hypotheſibus ductæ. Ibid.
Cum alijs comparatæ quales. pag. 89. 90.
Copernici Argumentum probans Terram non eſſe Centrum quale. 84.85.
Eius ſententia non fuit approbata à Paulo III. 88.
Semper fuit habita contraria Scripturæ. Ibid.
S. Congregationis Indicis de eadem cenſura, & quomodò eiuſdem libri cautè ſint permiſsi. Ibid.
Corporũ Sphæricorũ grauiſsimũ eſt medium ceterorum. 85.
Corpora longè diſsita etiam mota ſtare videntur. 60.67.

D

Deus creando Mundum, prius fecit culmen poſtea fundamentum. 17.18.
Diſputare contra Terræ Stationẽ an liceat & quomodò. 48.50.
Doctrina de motu Terræ & Statione Solis implicitè probibita à Leone X. 57.
Diſputare contra Terræ Stationẽ cur periculoſius, quàm contra quædam alia etiam de Fide certa. 50.

E

Elementa quomodò immutantur ſicut in Organo qualitatis ſonus. 86.
Eſdræ tertius, & quartus liber, cuius autboritatis. 40.
Ezechiam motus Terræ latere non potuiſſet. 77.

F

Falſum, & Verum quomodò ſequatur ex falſo. 91.
Fauſti Manichæi Matheſim ignorantis præſumptio. 92.93.
Firmamẽtum cur ſic dictum. 81.
Non infert Cæli Stationem. 84.
Eſt diuerſum à primo Cælo. 81.
Quomodò igni & aqua ſolidatur. 83.
Quomodò aliqui putarunt eſſe compoſitum ex Elementis. 82.
Firmamentum ſtare cum Stellis, eſt cõtra Scripturam. 73.74.75. & 77.
Firmitatis Cæli & Terræ non eadem ratio. 60.74.
Firmitas Cæli non opponitur motui. Ibid.

H

Harmonia Mundi. 15.
Arguit rationem Centri, & Stationem Terræ. 15.16.
S. Hildegardis à Deo doctæ & illuminatæ laudes. 82. 83.

Ignis

INDEX.

I

IGnis in Cælo qualis. 81.82.
Ignis locus, Pythagoræ eſt Carcer in medio Vniuerſi. 80.
Ignis inferorum an violẽter contineatur in Centro Terræ. 79.
Infernus vbi. An in Centro Terræ. 79.80.
Ioſue pugnante Sol vbi ſtetit. 72.

L

LIteralis ſenſus eiuſdem dicti multiplex. 22.23.28.
Literalis ſenſus qualis. 23.
Semper eſt determinatus. 24.
Non eſt accipiendus Logicè, aut Dialecticè. 70.
Quando dicitur impleri. 24.
Luminaria cur videntur ferri velociter. 67.
Quomodò moueri deprehẽduntur. Ibid.
Motu peragunt officium ſuũ.
Luna quomodò dicitur Luminare Magnum. 71.

M

MAris ænei diameter. 72.73.
Maris æſtum quidam in motum Terræ conantur reducere. 49.
Mathematica quædam, phyſicè impoſsibilia. 49.
Mathematica abſque Syſtemate Copernici perfici poteſt. 88.
Mathematici puri cur facilè paralogizant. 48 50.51.
S. Scriptura abutuntur. 53.54.
Aſſerentes Solem ſtare, Terrã moueri, tanquam paralogizantes conuincuntur. 54.55.56.
Mathematicus nullus, vel vnius Planetæ periodum rectè determinauit. 90.
Medium Vniuerſi comparatur pedi fixo. 84.
Medius motus Solis ſpectat punctum Eccentrici. 42.
Miraculum Horologij Achaz in Sole, non in vmbra. 38.39.
Mobile indiget quieſcente. 84.
Motus circularis indiget Centro quieſcente. Ibid.
Moyſen ſenſiſſe Terram moueri, impoſtura. 88.
Moyſes quomodò locutus eſt rudi populo. 61.
Alijs etiam ſubtilia inſinuauit. pag. 61.62.
Cur non expreſſit motus Syderum. 62.
Quem finem intendit in Syderibus explicandis. Ibid.
Mundum Deus tradidit diſputationi. 48.
Mundos plures non eſſe poſſibiles quomodò intellexit S. Thomas. pag. 80.81.
Mundus eſt finitus & Sphæricus. pag. 85.
Myſticus ſenſus non elicitur ex litera. 22.
Interdum, ſed rarò fit literalis. 23.

N

NAuigantibus Terra cur moueri videtur. 66.

Di-

Diuerſi motus Terræ apparent. pag. 67.
Motus nauis ab illis percipitur. 66.
Naui mota, an velociùs videntur ferri corpora quàm ipſa nauis. 67.

P

Patrum nullus expreſsè dixit Terram moueri. 41.
Eorum ſententia de Terræ Statione. 14.
Suppoſuerũt potiùs Terræ Stationem quàm probarunt. 12.13.
Mathematica non magnoperè curarunt. *Ibid.*
Secũdùm variam Philoſophiã, variè ſunt locuti. 76.
Paralogiſmi ex quibus aſſeritur motus Terræ. 51.52.
Contra Eccentricos & Epicyclos. 51.
Phænomenum Phyſica cauſa quæ. pag. 90.
Philoſophia quomodò rectè tractanda. 58.
Philoſophiam publicè docentes ad quid teneantur ex Conſtitut. Leonis X. 57.
Propoſitiones quædam de Cælo damnatæ. 75.76.
Pythagoras ignoranter Terræ tribuit animam. 78.
Eius error ex Cubo & motu Terræ. *Ibid.*
Ridetur ab Hermia. *Ibid.*

R

Rotundi mediũ eſt imum. 43.

S

Sacra Scriptura inſtar Terræ immobilis. 71.
Nuſquam indicat Terram natura moueri. 8.
Metaphoricè loquentis Scripturæ, quis ſenſus Literalis. 70.
Quæ vno loco tradit metaphoricè, alio explicat. 67.68.70.71.
Senſus à Spiritu ſancto intenti ſignum. 25.
Sol quomodò Luminare Magnũ. pag. 71.
Quauis Stella maior. 11.72.
Stellis minor apud quos. 71.
Cur ſtare videtur. 60.
Quomodò ſtare quidam Patres intellexerunt. 36.
Cur ſpiritus dicatur. 39.
Solis Ortus & Occaſus non eſt tantùm quoad apparentiam. 60.
Varius eius motus. 37.
Solis natura ignea. 39.
Non ideò animata. 78.
Solis Eclipſis Chriſto patiente, redarguit motum Terræ. 33.
Solem moueri non habet Metaphoricum ſenſum. 70.
Moueri ſecundũ varios ſenſus, quomodò eſt de Fide. 34.38.39.
Eſt vnanimis Patrum ſententia. 35.
Non gyrare ſub Terra, falsò imponitur S. Auguſtino. 63.
Eo ſtare iuſſo à Ioſue, an totum Cælum ſteterit. 42.
Standi proprium apud Latinos ſignificatum. 26.

Sta-

Statio Terræ omnem motum excludit. 26.
Stellæ ſunt minores Sole. 71.
Cur quieſcere videātur. 60.67.
Eas moueri eſt ſecundùm Scripturam. 75.
Nec id intelligitur de Solis Planetis. Ibid.
Sunt ſubtilia, & tenuia corpora. 40.
Ex Elementis quibuſdam eas conſtare quidam putarunt. Ibid.
Syſtema Copernicanum hypotheticè tantùm, & quomodò poteſt aſſumi. 87.
Ex eo licet falſo, quomodò deducantur putationes veræ. 40.
Eſt contra S. Scripturam. 31.
Multa parit abſurda. 32.
Vulgatum, plures habet ſequaces.

T

Terra interdum ſignificat habitatores Terræ. 2.
Suſpenſa in nihilo. 17.18.32.
Producta eſt prima die, motus expers. 18.19.
Quomodò voluntate Dei immobilis. 13.14.
Magna Mater, Ceres, Veſta, cur dicta. 16.
Eius Originale vocabulum in Hebræo quid importet. 10.11.
Terra à terendo. 77.
A currēdo quomodò dicta. Ibid.
Terræ miraculoſa commotio. 2.
Terram commoueri in S.Scriptura quid importet. 25.26.
Vnus tantùm illi motus competit naturaliter, & quando. 85.
Terra aptiſsima ad quieſcendum, in medio. 86.
Cubo comparata. 10.
Eius Statio ſenſu deprehenditur. 60.
Ita ſtat, vt nō moueatur. 25.26.
Eadem eſt ſententia Sanctorum Patrum. 20.
Quomodò ſe habeat ad reliqua Elementa. 85.
Aquis ferri quidam putarunt. pag. 16.20.
Terræ quàm Firmamenti ſtabilitatem plura loca Scripturæ indicant. 80.
Terram moueri eſt contra Scripturam. 76.
Stare, nullum habet Metaphoricum ſenſum. 70.
Terra in æternum ſtat, quot modis ſumitur in S.Scriptura. 35.
Terra Centrum Vniuerſi. 9.10. & 12.13.14.20.41.
Id eſſe de Fide probabilius eſt pag. 41.44.46.4
In ratione Cētri non cōſideratur reſpectu Orbis Eccentrici pag.
Terra in medio conſtituta. . & 59.40.3.
In infimo. 16.17.19.3.
Eſſe deorſum, eſt de Fide. 31.46.
Terra in Cælo qualis, & in quem finem. 82.
Probabilius eſt nullam eſſe in Cælo. Ibid.
Terra non eſt animata. 17.18.
Nauigantibus cur moueri videatur. 66.

Quo-

Quomodò opponatur Aquæ graui. 17.
Terram aliam non eſſe poſsibilem, quo ſenſu intellexit S. Thomas. 80.
Tychonianæ Lunares Hypotheſes laudatæ. 89.

V

V*Erum non contradicit Vero. pag.* 19.
Ex Vero nunquam ſequitur falſum, Ibid.
Verum aliquid dicere ſecundùm Philoſophiam, & non ſecundùm Theologiam, error damnatus, & peſtis. 91. 92.
Verus motus Solis refertur ad Centrum Vniuerſi. 42.
Vſus Copernicani Calculi quo pacto licitus. 48. 49.
Quomodò adhibendus, ne religio offendatur. 56.

FINIS.

AL^aH.1724544
02-11276

Quomodò o... ...ue gra- ui.
Ternu...
Ex Vero nunc...

AL9H 1724544
02-11276